ST. ALBERT LIBRARY

THOMAE HEMERKEN A KEMPIS

ORATIONES ET MEDITATIONES DE VITA CHRISTI

Effigies Thomae a Kempis

circiter sexagenarii Zwollis adservata.

THOMAE HEMERKEN A KEMPIS
CANONICI REGVLARIS ORDINIS S. AVGVSTINI

ORATIONES ET MEDITATIONES DE VITA CHRISTI

EPILEGOMENIS ET APPARATV CRITICO
INSTRVCTAS

AD CODICVM MANV SCRIPTORVM EDITIONVMQVE
VETVSTARVM FIDEM RECOGNOSCEBAT EMENDABATQVE

MICHAEL IOSEPHVS POHL
PHILOS. DOCT. REGII GYMN. THOMAEI KEMP. DIR.

CVM THOMAE EFFIGIE

CVM ADPROBATIONE REV. ARCHIEP. FRIBVRGENSIS

ST. ALBERT'S COLLEGE LIBRARY

FRIBVRGI BRISIGAVORVM
SVMPTIBVS HERDER
TYPOGRAPHI EDITORIS PONTIFICII
MDCCCCII
VINDOBONAE ARGENTORATI MONACHII S. LVDOVICI
AMERICAE

Property of
COSA
Please return to
Graduate Theological
Union Library

Imprimatur.

Friburgi Brisgoviae, die 24. Iulii 1901.

✠ Thomas, Archiepps.

Omnia iura reservantur.

Typis Herderianis, Friburgi Brisigavorum.

In hoc libro continentur:

Tractatus duo, quorum partes et capitula sunt haec:

Tractatvs prioris Pars prior:

De vita et beneficiis Salvatoris Iesu Christi devotissimae meditationes cum gratiarum actione.

Pag.

Praefatio 3

Capitulum I. Incipiunt devotae gratiarum actiones de tota vita mediatoris Dei et hominum Iesu Christi. Et primo oratio multum excitativa ad laudandum Deum 4

Cap. II. Oratio de creatione primi hominis et eius miserabili lapsu 7

Cap. III. De revocatione hominis et promissione adventus Christi 9

Cap. IIII. De redemptione humani generis per verbi incarnati mysterium 11

Cap. V. De nativitate ac paupertate Domini Iesu 13

Cap. VI. De incommodis et indigentiis pauperis Iesu 16

Cap. VII. De vagitibus infantis Iesu . . . 17

Cap. VIII. De lactatione esurientis Iesu . . 18

Cap. VIIII. De dolorosa circumcisione Domini Iesu 19

Cap. X. De impositione salutiferi nominis Iesu . 21

Cap. XI. De apparitione Iesu et devota sanctorum regum oblatione 23

Cap. XII. De purificatione beatae Mariae et praesentatione Iesu 27

Cap. XIII. De persecutione Iesu et fuga eius in Aegyptum 30

4170

Pag.

Cap. XIIII. De sanctis innocentibus ab Herode pro nomine Iesu occisis 31
Cap. XV. De inventione Iesu in templo . . 32
Cap. XVI. De sancta et occulta vita humilis Iesu 34
Cap. XVII. De baptismate Iesu et nostra sanctificatione in aquis 35
Cap. XVIII. De ieiunio et temptationibus invictissimi Iesu 37
Cap. XVIIII. De sancta praedicatione et salutari doctrina Iesu 39
Cap. XX. De gloriosis signis et benivolentia Iesu 40
Cap. XXI. De exemplis bonisque moribus Iesu et de tribulationibus eius in mundo . . . 43
Cap. XXII. De festo palmarum et humili equitatu Iesu in Ierusalem 45
Cap. XXIII. De cena Dominica, in qua post agnum typicum Christus Iesus instituit corporis et sanguinis sui sacramentum 48
Cap. XXIIII. De lotione pedum et sacro sermone in cena Iesu 50

Tractatvs prioris Pars altera:

De passione Christi secundum scripta quatuor evangelistarum.

Cap. I. De venditione Iesu a perfido Iuda traditore 57
Cap. II. De tristitia et pavore Iesu pro nobis assumptis 58
Cap. III. Trina oratio et prostratio Domini Iesu ad patrem et resignatio voluntatis . . . 60
Cap. IIII. Quomodo Dominus Iesus venit obviam traditori suo 62
Cap. V. Horrenda captio et deductio Domini Iesu 65
Cap. VI. Derelictio Domini Iesu et fuga apostolorum 68
Cap. VII. Praesentatio Domini Iesu coram Anna sacerdote 71
Cap. VIII. De trina negatione beati Petri apostoli 73
Cap. VIIII. Deductio Domini Iesu ab Anna ad Caipham sacerdotem et statio eius coram eo . 76
Cap. X. Contumeliae, illusiones et percussiones capitis Domini Iesu 78

Pag.

Cap. XI. Praesentatio et statio Domini Iesu coram Pilato 82
Cap. XII. Quomodo Dominus Iesus fuit ab Herode despectus 84
Cap. XIII. De furibundo Iudaeorum clamore: Crucifige, tolle eum 86
Cap. XIIII. Denudatio, alligatio ad columnam et flagellatio Domini Iesu 91
Cap. XV. De expoliatione, illusione, coronatione et percussione capitis Domini Iesu . . . 95
Cap. XVI. De iniusta condemnatione Iesu ad mortem 103
Cap. XVII. De baiulatione crucis Iesu et eductione eius ad locum calvariae 105
Cap. XVIII. De nuda crucifixione et de alta et longa suspensione Domini Iesu in cruce . . 113
Cap. XVIIII. De vulneribus Iesu et pretiosi sanguinis eius effusione 121
Cap. XX. De pia supplicatione Iesu pro inimicis 125
Cap. XXI. De direptione et divisione vestimentorum Christi 129
Cap. XXII. De opprobriis Iudaeorum et forti perseverantia Iesu in cruce 135
Cap. XXIII. De verbo ad latronem in cruce dicto 140
Cap. XXIIII. De insigni titulo nominis IESV super caput eius posito 146
Cap. XXV. De compassione materni doloris et mutua commendatione beatae Mariae et sancti Iohannis 150
Cap. XXVI. De magnificis virtutibus beatae virginis et de dolore ac lacrimis eius . . . 157
Cap. XXVII. De solitaria derelictione Domini Iesu in cruce 165
Cap. XXVIII. De siti Domini Iesu in cruce pendentis 171
Cap. XXVIIII. De adimpletione scripturarum in morte Christi et de verbo: Consummatum est 174
Cap. XXX. De lamentabili emigratione Domini Iesu ab hoc saeculo 180
Cap. XXXI. De pallida et miseranda specie Iesu, quando anima eius migrante certa mortalitatis in eo apparuerunt signa 191
Cap. XXXII. De dira perforatione sacratissimi lateris Domini Iesu post excessum vitae . . 195

Pag.
Cap. XXXIII. Depositio Domini Iesu de cruce . 201
Cap. XXXIIII. Orationes ad membra Christi. Et primo ad pedes 204
Cap. XXXV. De veneranda sepultura Domini Iesu 209

Tractatus alter de resurrectione orationes in duas partes sectae.

Tractatvs alterivs pars prior:

De resurrectione Christi et apparitionibus eius.

Cap. I. De victoriosissimo triumpho mortis in cruce Domini nostri Iesu Christi et de laetissima resurrectione eius de sepulchro 217
Cap. II. De devota visitatione sancti sepulchri Domini nostri Iesu Christi 225
Cap. III. De apparitione Iesu coram Maria Magdalena in specie hortulani 235
Cap. IIII. De magnis meritis et privilegiis gratiarum beatae Mariae Magdalenae . . . 243
Cap. V. De magna compunctione sanctae Mariae Magdalenae in passione Domini . . . 247
Cap. VI. De laeta et pia apparitione Christi coram matre sua in secreto cubiculo clausa . . 252
Cap. VII. De apparitione Christi coram sancto Petro in secreto et de cursu eius cum sancto Iohanne 258
Cap. VIII. Oratio ad impetrandam a Deo gratiam lacrimarum 264
Cap. VIIII. De utilitate et gratia sanctarum lacrimarum 268
Cap. X. De lacrimis Iesu super Lazarum . . 269
Cap. XI. De apparitione Christi in specie peregrini coram duobus discipulis euntibus in Emaus 275
Cap. XII. De cognitione Christi in fractione panis 278
Cap. XIII. De apparitione Christi coram discipulis in Ierusalem sero facto et clausis ianuis . . 283
Cap. XIIII. De apparitione Christi coram sancto Thoma apostolo in octava paschae . . . 289

Pag.

Cap. XV. De tactu sanctorum vulnerum Christi per manum sancti Thomae apostoli . . . 294
Cap. XVI. Oratio de quinque sacris vulneribus Iesu Christi 299
Cap. XVII. De armatura Christi, cruce, clavis, lancea et corona spinea 305
Cap. XVIII. De apparitione Christi coram septem discipulis in mari Tiberiadis piscantibus . 312
Cap. XVIIII. De convivio Christi cum eisdem discipulis suis 318
Cap. XX. De dulciloquio Iesu cum sancto Petro et sancto Iohanne apostolo de amore eius . 322
Cap. XXI. De apparitione Christi coram undecim discipulis in monte Thabor in Galilaea . . 329

Tractatvs alterivs pars altera:

De ascensione, pentecoste et aliis quibusdam.

Cap. I. De ascensione Domini et apparitione eius 335
Cap. II. De apparitione angelorum in albis vestibus 340
Cap. III. De missione Spiritus sancti in discipulos Christi in festo pentecostes 343
Cap. IIII. Oratio ad regratiandum Christo pro sua incarnatione, passione, resurrectione, ascensione et Spiritus sancti missione cum ampliori largitione donorum 347
Cap. V. Oratio de donis Spiritus sancti contra diversos morbos animae 349
Cap. VI. Oratio pro devotionis gratia in divino officio impetranda et alacri laude angelorum in caelo 352
Cap. VII. De praedicatione apostolorum et divulgatione sanctissimi nominis Domini nostri Iesu Christi in toto orbe terrarum pro salute hominum 357
Epilegomena 363
Adnotatio critica (Conspectus siglorum vide p. 413 et 417) 413

[TRACTATVS PRIOR.]

DE VITA ET BENEFICIIS SALVATORIS IESV CHRISTI DEVOTISSIMAE MEDITATIONES CVM GRATIARVM ACTIONE.

[TRACTATVS PRIORIS PARS PRIOR.]

PRAEFATIO.

SI desideras perfecte mundari a vitiis, si nobiliter ditari in virtutibus, si altissime illuminari in scripturis, si gloriose triumphare de inimicis, si copiose consolari in adversis, si devote conversari in terris, si frequenter compungi in cubilibus, si dulciter flere in orationibus, si ferventer accendi in meditationibus, si perseverare in bonis actibus, si repleri spiritalibus gaudiis, si rapi in excessum mentis, si divinis frui secretis, si feliciter mori in extremis, si perenniter regnare in caelis: exerce te in vita et in passione Iesu Christi, filii Dei, quem pater misit in mundum, ut omnibus praeberet perfectionis exemplum et sequaces suos ad aeternum perduceret regnum. Ama igitur Christum, sequere Iesum, amplectere crucifixum.

ST. ALBERT'S COLLEGE LIBRARY

[CAPITVLVM I.]

Incipiunt devotae gratiarum actiones de tota vita mediatoris Dei et hominum Iesu Christi. Et primo oratio multum excitativa ad laudandum Deum.

Domine Deus meus, laudare te desidero, quia ad laudandum te creatum me agnosco. Aperi os meum in laudem tuam, ut cantem gloriam nomini tuo. Excita cor meum in te, repelle omne taedium, infunde gratiam, accende amorem, ut tibi debitas possim gratias persolvere. Aufer iniquitatem servi tui, munda me ab omni inquinamento carnis ac spiritus, ut dignus efficiar in tui nominis honorem labia mea aperire.

Sed tuam abyssalem maiestatis dignitatem quis digne laudare poterit? Ecce omnes virtutes caelorum atque universae potestates angelicae non sufficiunt tuae celsitudinis magnitudinem condigne laudare, quanto minus homo fragilis, putredo et vermis. Deficit enim in condigna laude tua omnis creatura, omnis ratio, omnis lingua et sermocinatio. Quid igitur? Cessabo a laude tua, quia te digne laudare nequeo? Aut ideo tacebo et omnino mutus ero, quia immundum et insufficientem me esse cognosco? Absit a me ingratitudo ista, ut cessem lau-

dare te, quem laudare debet omnis creatura: maxime autem homo rationalis, cui tanta bona prae ceteris contulisti. O pater misericordiarum et Deus infinitae bonitatis, scio vere et confiteor ex toto corde me nimis sordidum peccatorem esse ante te: quem magis decet prostrato vultu cum fletu et gemitu veniam petere, quam dulcissimum nomen tuum polluto ore laudare et nominare.

Sed tamen de tua piissima bonitate ac ingenti dulcedine confisus cupio te laudare ex intimis praecordiis obsecrans viscera miserationum tuarum, ut me immundum vermiculum et putridum cadaver non despicias nec a magnifici nominis tui laudatione suspendas, sed omnia interiora mea cum devota oris iubilatione ad laudandum te excites et accendas.

Laus tua, Deus, tu ipse es; nec ab aliquo dignius laudaris, nisi a te ipso, qui es rerum omnium conditor et rector: a quo cuncta habent originem, virtutem et operationem in tui nominis laudem et honorificentiam tendentem. Laudandus es ergo semper et ab omni creatura tua benedicendus. Sed omnem laudem praecellit, cum mens tuam dignitatem cogitans pro tua maxima bonitate te ipsum collaudare in te ipso desiderat. Laudet

te igitur, Deus meus, incomprehensibilis essentia tua, inenarrabilis omnipotentia tua, inscrutabilis sapientia tua, ineffabilis dulcedo tua et immensurabilis pietas tua. Laudet te supereminens tua bonitas, superabundans misericordia tua, sempiterna quoque virtus et inenarrabilis maiestas tua. Laudet te infallibilis veritas tua, incommutabilis aequitas tua, indeficiens lux tua, clarissima notitia tua et inviolabilis substantia tua. Laudet te rectissima iustitia tua, prudentissima ordinatio tua, tranquillissima gubernatio tua et invincibilis potentia tua. Laudet te tua maxima dignitas, summa benignitas, tua optima dulcedo, pulcherrima pulchritudo et excellentissima caritas tua. Omne nomen et omne verbum, quod de te praedicari potest et dici, laudet te et superexaltet in saecula.

Laudet te nobilissima regina caelorum, gloriosa virgo Maria, atque cum universa curia caelesti tuam perpetuam maiestatem superexaltet in saecula.

Milia milium angelorum debita cum veneratione tibi ministrantium laudent et psallant nomini tuo infinitae gratitudinis laudes. Et deciens miliens centena milia civium supernorum tibi iugiter assistentium summa cum exultatione laudent te et adorent cum summa reverentia, atque

ex parte mea omnis haec iucundissima contio caelestis aulae cum devotissima et acceptabilissima salutatione te salutent, laudent et honorificent in saecula.

Cuncta quoque praeclara desideria sanctorum et omnia melliflua doctorum eloquia, singulae virtutes et actiones perfectissimae in tui nominis honorem operatae cum universali creaturarum melodia laudent te et superexaltent altissimo modo, quo possunt, tuum sanctissimum deitatis nomen benedicendo in saecula. Omnes sancti et electi tui, quorum nomina scripta sunt in libro vitae, laudent te et glorificent laude perpetua: atque pro peccatorum meorum plena remissione, pro bona morte et felici exitu, pro evasione aeternae damnationis et pro perceptione caelestis gloriae te exorent mihique statum aeternae salutis apud te impetrare mereantur. Amen.

[CAPITVLVM II.]

Oratio de creatione primi hominis et eius miserabili lapsu.

Benedico et gratias ago tibi, sancta Trinitas et inseparabilis Unitas, Pater et Filius et Spiritus sanctus, unus verus Deus omnipotens, qui ad declarandum bonitatis tuae ineffabilem lar-

gitatem in principio creasti caelum et terram, mare et omnia, quae in eis sunt, atque prae ceteris creaturis speciali honore dignitatis hominem ad imaginem et similitudinem tuam sublimasti faciendo ipsum dominio potentem, ratione sapientem et vita innocentem.

Laudo et glorifico te pro maximo illo munere, quo hominem in paradiso decorasti deliciis affluentibus, ut haberet summa ad fruendum, inferiora ad regendum et cuncta simul possideret ad te perpetue collaudandum.

Laudo et honorifico te, Deus piissime, pro tua excellenti miseratione et indicibili misericordia, qua homini praevaricanti et omnibus beneficiis tuis ingrato ab irreparabili lapsu pepercisti ipsum pro suis culpis ad agendam paenitentiam extra paradisi amoenitatem emittendo, qui licet aeterna damnatione pro sua transgressione dignus extitisset nec ullam veniam consequi debuisset, non es tamen usus hac severitate iustitiae, sed dulcedine ineffabilis misericordiae tuae imponendo illi onus dignae paenitentiae et post longa tempora oleum exhibendo diu optatae indulgentiae. Sicque factum est, ut creatura rationalis tua salvaretur gratia, quae propria iniquitate cecidit in culpam.

Hinc gratias tibi agere debet omnis fidelis anima nec de sua confidere virtute neque de suorum meritorum gloriari iustitia. Tua enim, Deus meus, sumus creatura: tua bonitate consistimus: tua largitate accepimus, quae habemus: sed nostra pravitate cito labimur et deficimus; ac nisi tuae miserationis praesidio rursus erigamur et confirmemur, ad deteriora semper tendimus et in malis tabescimus.

Tuas igitur, clementissime Deus, miserationes imploramus; tuae suavitatis abundantiam ad memoriam revocamus, dulciter eructamus, excellenter praedicamus atque tibi sacrificium piae laudationis pro multitudine impensae miserationis cum gratiarum actione immolamus, quam nobis filiis sceleratis sub peccato venumdatis plenissime demonstrasti.

[CAPITVLVM III.]

De revocatione hominis et promissione adventus Christi.

Benedico et gratias ago tibi, Domine Deus omnipotens et clemens, cuius natura bonitas, cuius voluntas potentia, cuius opus misericordia est, pro tua clementia immensa et gratuita bonitate, qua hominem diabolica malignitate de-

ceptum atque mortalis contagii veneno prostratum non distulisti a multiplicibus erroribus et peccatorum sordibus ad viam paenitentiae et rectitudinis statum revocare dando illi spem veniae et consolationem adipiscendae salutis ingerendo per salutiferum adventus tui promissum.

Et ne forte per ignorantiam homo suam posset excusare malitiam, consuluisti frequenti admonitione eius errori pandendo legem, inferendo plagas, aperta iudicia exercendo in peccatores, multiplicando signa, promittendo bona futura, ita ut essent inexcusabiles, qui se ad cultum tuum et veritatis notitiam non converterent. Nam et quinque saeculi aetatibus per patriarchas, iudices, sacerdotes, reges et prophetas ab Abel iusto usque ad Iohannem Baptistam, praecursorem tuum, non destitisti desiderabilem adventum tuum miris signis ac multiplicibus oraculis praenuntiare, promittere ac praefigurare, ut intellegentias nostras tot testibus praecurrentibus ac tua mysteria nuntiantibus ad fidem erigeres et torpentes affectus nostros per viva multorum patrum antiquorum exempla ardenter inflammares.

[CAPITVLVM IIII.]

De redemptione humani generis per verbi incarnati mysterium.

Benedico et gratias ago tibi, Domine Deus, creator ac redemptor humani generis, pro tua nimia caritate, qua hominem mirabiliter creatum mirabilius reformare voluisti. Cum enim adhuc essemus inimici tui, et mors antiqua in omne genus humanum iniquum exerceret dominium, recordatus es uberum miserationum tuarum et prospexisti de sublimi habitatione gloriae tuae in hanc vallem plorationis et miseriae. Vidisti siquidem afflictionem populi tui magnam super terram et grave onus filiorum Adam. Idcirco tactus dulcore caritatis intrinsecus apposuisti cogitare super nos cogitationes pacis et redemptionis. Nam ubi venit plenitudo temporis, venisti visitare nos oriens ex alto et desideria prophetarum per susceptae incarnationis exhibitionem adimplesti verus Deus et homo inter homines apparendo.

Benedico et laudo te, salvator noster Iesu Christe, pro tua maxima humilitate, qua pauperculam virginem dignatus es in matrem eligere, quam et pauperi fabro, videlicet Ioseph, iusto et sancto viro, desponsari fecisti. Benedico te pro tuae

dignissimae incarnationis annuntiatione et reverenda angelica salutatione, qua beatissimam virginem Mariam angelus Gabriel devotissime salutavit annuntians ei divinum mysterium, Dei filium ex ea incarnandum.

Laudo et honorifico te pro magnitudine fidei Mariae virginis, pro firmo eius assensu et humillima eius responsione ac cunctis virtutibus illius, quas tunc specialiter demonstravit, quando archangelo evangelizanti oboedienter respondit: Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum.

Laudo et glorifico te, o aeterna patris sapientia, pro tuae inattingibilis altitudinis admiranda inclinatione in nostrae mortalitatis vile ergastulum et pro tua purissima ex Maria conceptione Spiritus sancti cooperatione celebrata, in cuius virginali utero inenarrabilis virtus Altissimi superveniens carnem tuam sacrosanctam de carne virginis intemerata formavit. Tu enim verus Deus, aeterno patri consubstantialis, nobiscum factus es una caro sine contagione peccati, ut nos tecum unum efficeres spiritum per adoptionem filiorum Dei.

Laudo et magnifico te pro tuae plenitudinis spontanea exinanitione et nostrae passibilitatis, humilitatis, infirmitatis ac

mortalitatis caritativa susceptione, ut nos tua exinanitione repleres, tua passibilitate salvares, tua humilitate exaltares, tua infirmitate roborares, tua mortalitate ad immortalitatis gloriam perduceres.

Laudo et superexalto te pro tua longa inhabitatione, qua novem mensibus intra virginalis uteri angustias parvulus latuisti expectando debitum nativitatis tempus, qui secundum divinitatem non habes tempora et annos, sed omnia in tempore et ordine congruo ordinasti. O amanda et valde admiranda dignatio, quod tu Deus immensae gloriae non despexisti vermis contemptibilis fieri, et qui cuncta sine labore creasti, propter nos liberandos dolores nostros assumere voluisti. O dulcissime Iesu, splendor aeternae gloriae, quanto te minorem in humanitate fecisti, tanto maiorem mihi in bonitate demonstrasti, et quanto pro me factus es vilior, tanto mihi carior es.

[CAPITVLVM V.]

De nativitate ac paupertate Domini Iesu.

Benedico et gratias ago tibi, Domine Iesu Christe, ex patre patris unice, qui solus ante principium natus ineffabiliter dignatus es ex maxima hu-

ST. ALBERT'S COLLEGE LIBRARY

militate in sordenti stabulo nasci et in angusto praesepio ob amorem sanctae paupertatis collocari.

Laudo te, amantissime Iesu, pro praeclaro ortu tuo, pro gloriosa nativitate tua ex illibata virgine Maria, pro paupertate tua et humili reclinatione in tam parvo et vili praesepio. Quis digne cogitare sufficiat altissimum Deum tam parvum pro hominibus factum? O quantas tibi gratias agere tenetur totum genus humanum, pro quo redimendo praesepis quaesisti angustias! O magna pietas, o mira suavitas, o suavissima caritas videre Deum puerum natum, pannis vilibus involutum et in arto praesepio ante animalia positum! O humilitas incomprehensibilis, quod Dominus omnium dominorum dignatus est fieri conservus servorum suorum! Sed hoc parum visum est tibi, Domine Deus, ut esses pater meus, qui es creator meus; quin etiam fieri dignatus es frater meus et caro mea veritate humanae naturae, sed nihil trahens corruptionis antiquae.

O nativitas supra naturam, sed pro natura reparanda superans nascentium ordinem miraculi excellentia ac nostros flebiles ortus consolans virtute divina. O quam felix et multum amabilis nativitas tua, dulcissime Iesu, puer egregiae vir-

ginis, proles eximiae matris Mariae, quae omnium nativitatem emendat, condicionem reformat, praeiudicium solvit, chirographum damnatae naturae rescindit, ut si quem piget damnabiliter de origine Adam esse natum, gaudeat de tua incontaminata nativitate confidens se felicissime per gratiam tuam esse renatum.

Gratias ago gratuitae et gloriosae nativitati tuae, Iesu Christe, unice fili Dei, per quem accessum habemus in gratiam istam, in qua stamus et confidimus de spe gloriae filiorum Dei nobis caelitus repromissa. Tu pignus redemptionis nostrae; tu spes perennis omnium; ad te humiles peccatores confugimus, qui nos antea quaesisti, cum necdum te cognovimus. O sacra et dulcis infantia, quae veram humanis cordibus innocentiam infudisti, per quam omnis aetas in beatam redeat infantiam tibique conformis fiat, non parvitate membrorum, sed humilitate sensuum ac pietate morum.

Concede mihi, clementissime Iesu, humilitatis ac paupertatis tuae sancta vestigia imitari, qui ad dandum omnibus hominibus virtutis exemplum et perpetuae salutis remedium voluisti de Maria virgine mediae noctis tempore nasci. Fac me cum angelis et tota militia caelesti gratias ac laudes devota tibi mente ca-

nere, quos tuae nativitatis laetos fecisti esse praecones.

[CAPITVLVM VI.]

De incommodis et indigentiis pauperis Iesu.

Benedico et gratias ago tibi, Domine Iesu Christe, pro multorum incommodorum inter ipsa primordia nativitatis tuae benigna perpessione et extremae paupertatis asperrima degustatione. Cum enim natus esses in orbe Deus, elegisti nocturnum tempus pro secreto, algorem hiemis pro deliciis, nec quaesisti grandia palatia pro regia dignitate, sed breve cunabulum ad tuam teneritudinem contegendam. O paupertas super paupertatem, quod vix pannos habuisti ad induendum, qui totum tegis mundum, qui primo homini tunicam pelliceam fecisti, qui caelum stellis, terram floribus, iumenta pellibus et crinibus mira varietate adornasti. O sanctam paupertatem filii Dei omnibus divitiis mundi pretiosiorem, vix ullis perfecte imitabilem. Quis nascentium tales pertulit angustias? Quae litera, quae lingua aut quae exempla demonstrant aliquem sanctorum habuisse tale paupertatis initium?

Hinc tibi laudes amplissimas ex totis medullis cordis mei refero, Iesu rex inclite, puer amabilis, obsecrans tuam dulcedinem, ut tuae sanctae paupertatis tribuas mihi dona corde amoroso amplecti ac patienti animo inopiae molestias cum tua gratia perferre. Tu de caelo descendisti, ut illam nobis amabilem faceres, et pauper de nostro factus es, qui semper de tuo dives ac plenus perseveras.

Laudo te magnifice pro assumptione paupertatis et fragilitatis nostrae, quod tam caros nos existimasti, ut deposito regali diademate inter filios Adam quasi unus ex ipsis dignatus es computari, communione scilicet fragilis naturae, absque tamen omni labe culpae semper immunis permanendo.

[CAPITVLVM VII.]

De vagitibus infantis Iesu.

Benedico et gratias ago tibi, Domine Iesu Christe, gaudium angelorum, solacium miserorum, pro lacrimis et vagitibus infantiae tuae, quibus peccata filiorum Adae dolenter deplorasti. Mira res et stupenda dignatio, quod Deus parvulus vagit in cunis; quem laudant angeli in caelis, sugit ubera matris, ut mortalis; qui substantiam vitae ministrat omnibus,

ut impotens tenetur manibus; portatur bracchiis, qui tonat in nubibus et terram rigat imbribus.

Ecce quomodo simul iuncta sunt ima summis, et humana divinis.

Me ergo abluunt infantiae tuae fletus, mea delicta tuae deplorant lacrimae. Ideoque plus debeo iniuriis tuis, Domine, quod redemptus sum, quam operibus, quod creatus sum. O quantum lugere debeo pro peccatis meis, quoniam tu, Domine, non cessasti plorare pro eis. O quam gravia fuere vulnera animae meae, pro quibus tam uberes lacrimas fudisti. Sed non mirum neque absurdum, si modo lacrimas ex compassione fundis, pro quibus venisti pretiosum sanguinem fundere, ut nos a peccatis ablueres.

Laudo ergo te, dilecte Iesu, et semper laudabo pro caritativa compassione tua erga me miserum peccatorem.

[CAPITVLVM VIII.]

De lactatione esurientis Iesu.

Benedico et gratias ago tibi, Domine Iesu Christe, fons indeficiens vitae, pro tua lactatione ex uberibus virginis Mariae, cuius sacro lacte pastus es, tu ipse pastor omnium, cibus et panis angelorum. O ineffabilis dulcedo divinae

dignationis ad hominum genus. Quis digne existimare valeat, quanti sacramenti quantaeque sit gratiae, quod Deus sugit ubera carnis et lacte alitur virginis? O quanta dulcedine caritatis mihi, Domine, coniungeris, qui ad indigentias te inclinasti humanae fragilitatis! O magnum tremendumque mysterium, cum unus idemque praedicaris de Deo patre Deus et de matre virgine homo verus, unus idemque filius crederis feminae et unicus paternae gloriae, unus idemque particeps factus hominum et Dominus adoraris angelorum.

Laudo itaque te et benedico ineffabili dulcedini tuae, qui non erubuisti maternum lac sugere ostendens te veram carnis originem de matre virgine traxisse.

O qui pascis omnia et tam modica contentus fuisti alimonia, pasce animam meam sacri verbi dapibus et tribue cum gratiarum actione tibi servire, quamdiu in hoc fragili sum statu corporis.

[CAPITVLVM VIIII.]

De dolorosa circumcisione Domini Iesu.

Benedico te et gratias ago tibi, Domine Iesu Christe, salvator mundi, puritatis auctor, summae innocentiae conservator, pro tuae tenerrimae carnis do-

lorosa circumcisione secundum Mosaicae legis traditionem, cui te in omnibus, cum esses liber a sordibus, fecisti subiectum.

Laudo te super innocentis sanguinis tui effusione prima, quem pro nobis effudisti die hodierna. O mitissime Agne Dei, quanta dilectionis tuae commendatio, quanta virtus patientiae tuae extitit, cum sancta et immaculata caro tua in tam tenera aetate circumcisionis poenam, quam non meruit, accepit.

Ego enim peccavi, et tu poenam peccati exolvis. Ego in concupiscentia delicti conceptus sum et natus, et tu sine reatu procreatus cauterium ultionis accipis. Quid in te vitiosum aut superfluum extitit, quod abradi debuit? Sed quia ego pro peccatis meis plene tibi satisfacere nequivi, idcirco tua mihi subvenisti gratia et adhibuisti animae meae medicinam purgativam per duram carnis tuae circumcisionem. Nec mirum tamen, si te passus es circumcidi, qui paratus fuisti pro omnibus occidi. Totus siquidem mihi datus, totus et in meos expensus es usus.

O bone clementissime Iesu, qui in innocenti corpore tuo circumcisionem accepisti carnis, circumcide omnia membra mea spirituali petra et secundum vitam tuam omnes actus meos ordina mores-

que compone. Quidquid in me carnalitatis reppereris, abscide totum et extingue. Quidquid superfluum videris, amputa et omne vanum ac leve disciplinae tuae rigore coerce, quatenus intus a vitiis purgatus et honestate virtutum adornatus sancti nominis tui amorem perpetuum et regni tui caelestis merear habere consortium.

[CAPITVLVM X.]

De impositione salutiferi nominis Iesu.

Benedico et gratias ago tibi, Domine Iesu Christe, pro novi, salutiferi adorandique nominis tui impositione, quod vocatum est Iesus. Hoc primum annuntiatum fuit ab angelo in auribus beatae Mariae virginis; postea sancto Ioseph revelatur in somnis; sed hodierna die impositum est tibi a parentibus. O dulcissimum Iesu nomen super omne nomen in caelo et in terra benedictum. Secundum nomen tuum, Iesu, sic et laus tua in fines terrae. A solis ortu usque ad occasum laudabile nomen tuum ex hoc nunc et usque in saeculum dignissime glorificandum. Hoc sanctissimum et venerabile nomen ab aeterno tibi a patre appropriatum est, sed in tempore hominibus manifestatum. Non

enim est aliud nomen sub caelo hominibus datum, in quo oporteat nos salvos fieri.

Iure ergo tibi flectatur omne genu caelestium, terrestrium et infernorum; et omnis lingua confiteatur, quia tu es Iesus Christus, salus et redemptio nostra. O dulcissime Iesu, quam admirabile est nomen tuum in universa terra! Magnificatum est siquidem nomen tuum super nomen Salomonis et super omnes reges, qui ante eum fuerunt, et qui post eum regnaturi sunt. Ideo adorabunt te omnes reges terrae; et omnes tribus et linguae servient tibi, quia tu es Dominus Deus noster, rex et salvator omnium Christianorum.

O suave et salutiferum nomen Iesu omnem sanans languorem, mentem illuminans, corda accendens, tristitiam fugans, iram mitigans, pacem et concordiam praebens, caritatem nutriens et gaudium in tribulatione efficiens.

Hoc summe amabile nomen de caelo ab angelo delatum est in terras. Hoc evangelizatum est per universum orbem ab apostolis. Pro hoc passi sunt martyres. Hoc clara voce docuerunt confessores. Hoc ardenter amaverunt sacrae virgines. Hoc laudant et canunt senes cum iunioribus, et mille milia fidelium

elegerunt potius mortem subire, quam mellifluum nomen Iesu negare.

Hoc salutare nomen nunc adorant reges et principes. Hoc praedicant sacerdotes et doctores. Hoc singulariter venerantur et diligunt cuncti Christi fideles, qui mundo et diabolo renuntiantes in Iesu nomine se sperant esse salvandos. Est enim Iesus omnium suorum salus et protectio, in quorum mentibus perseverat fides et dilectio.

O dulcissime Iesu, unice salutaris meus, scribe benedictum nomen tuum in corde meo, non litera, sed spiritu, ut ibi sit et maneat in aeternum tam fortiter impressum, quod nulla prospera vel adversa a tua me mutent dilectione. Esto tu mihi turris fortitudinis a facie inimici, consolator in tribulatione, consiliator in dubiis, liberator ab angustiis, sublevator in casibus, instructor in moribus, revocator ab erroribus et ad caelestem patriam per tot temptationum pericula ductor fidelissimus.

[CAPITVLVM XI.]

De apparitione Iesu et devota sanctorum regum oblatione.

Benedico et gratias ago tibi, Domine Iesu Christe, princeps regum terrae,

pro tua gloriosa coram tribus regibus apparitione. Cum enim natus esses in Bethleem Iudae, non tardasti maiestatem tuam hominibus remotae nationis revelare, quibus et sanctae paupertatis tuae ostendisti apparatum perducendo eos cum lumine caelesti ad despicabile habitationis tuae domicilium. O Deus magne et mirabilis, qui cuncta solus ordinas et magna in caelo sursum operaris, pro exemplo tamen parvitatis intuendo coram tot regibus et nobilibus non erubuisti pauper et incultus apparere. Nam neque locum neque habitum pro nobis assumptum in splendidiorem speciem mutasti, sed eodem in loco et habitu simili commanens pastoribus et regibus indifferenter demonstrasti te.

Laudo ineffabilem clementiam tuam pro primitiis gentium et vocatione alienigenarum, quos de partibus orientis ad fidei lumen secreta inspiratione traxisti. Non sunt inventi in Israel ex principibus eius, qui cum tanta gloria et fide ad requirendum nativitatis tuae locum properarent, uti isti alienigenae, quorum fides clarior et devotio ferventior est inventa.

Glorifico te pro admirabili illuminatione gentium, quod in obscuris cordibus orientalium tam gloriose illuxisti, ut

signum sibi caelitus ostensum per tanta terrarum spatia indubitabili fide sequerentur.

Adoro te venerabiliter cum sanctis magis eorum adhaerendo vestigiis cupiens tria illa pretiosa munera, quae magna in se continent mysteria, devoto affectu tibi offerre. Siquidem illi procidentes obtulerunt aurum in signum regiae dignitatis, tus autem in venerationem divinae maiestatis, murram vero in ostensionem assumptae mortalitatis.

Quapropter, piissime rex regum, Domine, rector saeculorum Iesu Christe, suscipe oblationem mysticam de manu pauperis servi tui, quam tibi hodie per intercessionem sanctorum regum supplex repraesento.

Offero tibi primo fidem rectam, spem firmam caritatemque puram sine fine custodiendam. Credo te esse regem caeli et terrae; adoro te verum Deum, unicum patris filium; confiteor te propter meam salutem mortale corpus de Maria virgine suscepisse.

Accipe adhuc et tria alia munera boni odoris suavitatem in se continentia. En dono tibi, quod a te accepi, omnem scilicet substantiam mundi pro te relinquendo nec aliquid proprium in hac vita opto possidere, sed communi victu ac

simplici vestitu volo contentus esse, et haec est auri pretiosi moralis oblatio. Addo et turis donum, quo devotae orationis designatur incensum, propriis pro peccatis cum singultu et lacrimis orando, pro multis beneficiis tibi gratias magnas agendo et pro omnibus in necessitate constitutis dolendo: et haec est odoriferi turis acceptabilis tibi concrematio. Offero etiam murrae speciem in memoriam tuae amarissimae passionis cupiens viam transire perfectionis per asperitatem propriae mortificationis. Quotiens enim ob amorem tui amaritudinem passionis recolo, totiens tibi electae murrae speciem offero. Et quandocumque me ipsum in desideriis pravis vinco et propriae voluntati renuntio, fortiter redolentem murram in mortariolo cordis confringo, ut dignum tibi holocaustum exinde praeparetur. O quam felix forem, si murrae fasciculum Iesu meo offerre potens essem, omnem videlicet laborem et dolorem tuum nec non totius passionis tuae amaritudinem in unum colligendo. Tali enim mixtura et murra et ture ad emendationis fervorem, ad agendam paenitentiam, ad mortificationem passionum anima fidelis solet incitari.

Gratias tibi ago, Iesu Christe, pro summa huius diei reverentia, quem tri-

bus gloriosis decorasti miraculis. Hodie namque stella duce tres reges ad tuum duxisti praesepium. Hodie a Iohanne baptizatus es in Iordane. Hodie ex aqua vinum fecisti ad nuptias et in his omnibus te Deum et hominem evidenter declarasti. Precor ergo te, humilis ac mansuete Domine, ne me permittas Herodianis seduci fallaciis, mundi scilicet honoribus ac carnis illecebris; sed meritis sanctorum regum atque castissimae matris tuae precibus perduc me angelico comitante praesidio cum beatis regibus per viam rectam in regionem caelestem, ubi te perpetua in claritate merear speculari.

[CAPITVLVM XII.]

De purificatione beatae Mariae et praesentatione Iesu.

Benedico et gratias ago tibi, Domine Iesu Christe, puritatis auctor, pro tua humili praesentatione in templo Dei, ubi cum hostiis et muneribus tamquam unus ex Adae filiis oblatus es a parentibus atque quinque siclis argenteis quasi empticius aliquis servus redemptus.

Benedico te, sanctissime mundi redemptor, pro tua humili oboedientia divinae legis, qui sine delictorum debito

pro exemplo verae subiectionis nobis exhibendo subditum te legalibus per omnia fecisti institutis.

Honorifico te pro beatissimae matris tuae humilitate maxima et spontanea subiectione eius sub praecepto legis; quae cum esset virgo sancta in partu et post partum, non tamen recusavit purificationis suscipere remedium.

O gratissima oblatio, o suavissima satisfactio, quia libera, quia plena et ab omni culpa aliena.

Sed quid offeram, aut quid retribuam tibi Domino meo, pro omnibus quae tribuisti mihi? O quam necessaria mihi esset purificatio pro peccatis abluendis, quam utilis debita satisfactio pro commissis, qui tam multiplicibus inquinatus sum peccatorum sordibus.

Ideoque ad te respicio, benignissime Domine Iesu Christe, orans, ut pro me digneris satisfacere et tua purissima oblatione cuncta peccata mea abluere, quatenus templum caelestis habitaculi merear mundus et purificatus ingredi et nomen sanctum tuum laudare in perpetuum.

Ora quoque pro me, tu mater Dei alma, gloriosa virgo Maria, ut dimittantur mihi peccata mea, ut detur mihi tempus paenitentiae et firmum emendationis pro-

positum ad promerendum divinae gratiae auxilium, et quidquid mihi deest in regratiando beneficiis Dei, tu supple pro me, mater piissima, offerendo temetipsam cum amantissimo filio tuo vultui paternae gloriae. Excuset tua virginalis integritas impuritatem meam tam mentis quam corporis, tua caritas meam tepiditatem accendat, tua humilitas meam superbiam inclinet, tua spontanea oboedientia perversam propriae voluntatis meae duritiam confringat.

En offero me ipsum in manus tuas dilectique filii tui, et quidquid agere possum, erit in servitium vestrum semper paratum.

Offero par turturum, geminam scilicet compunctionem, primo de peccatis et neglegentiis meis dolendo, dehinc pro aeternis gaudiis suspirando.

Do etiam libens in holocaustum Domino duos pullos columbarum, duplicem scilicet simplicitatem intus servando cupiens nulli malum pro malo reddere, insuper et in bono malum vincere.

Quod mihi praestare digneris, o bone Iesu, qui ab humili virgine matre hodie in templo praesentatus fuisti et a iusto ac timorato viro Simeone in ulnis caritatis cum gaudio susceptus.

[CAPITVLVM XIII.]

De persecutione Iesu et fuga eius in Aegyptum.

Benedico et gratias ago tibi, Domine Iesu Christe, rex regum altissime, pro tua persecutione et tribulatione in puerili aetate tibi facta, quando a facie impiissimi Herodis regis fugisti et tamquam exul et peregrinus a propria patria compulsus es exire et regionem Aegypti latenter intrare, de qua olim filios Israel in manu potenti eduxisti.

Laudo et glorifico te pro laboriosa via illa et longa peregrinatione, quam in terra aliena pertulisti habitans septem annorum spatio inter barbaras nationes et homines tibi valde dissimiles. O quam saeva impietas auctorem vitae velle occidere et regem caeli de propria patria velle exturbare. O quantae lacrimae fluerent, si quis tam carum et pulchrum puerulum cum elegantissimae formae virgine matre in secretae noctis umbraculo fugere et exire in terram, quam non noverant, conspexisset? Vere singularis patientiae est iste persecutionis articulus et docet omnes Christi fideles multas debere eos persecutiones ab impiis pati.

Laudo et honorifico te, Domine Iesu, pro beato illo reditu ex Aegypto, pro

iterata illa remeatione in patriam tuam, pro sociali inhabitatione cum parentibus tuis in civitate Nazareth, ubi cum amicis et propinquis innocenter conversatus es, sed pauperem vitam cum matre et sancto Ioseph dulci consortio duxisti.

Concede mihi nunc, amande Iesu, vel in tantillo hunc patientiae passum imitari, non murmurare adversus iniurias illatas, sed humiliter cedere homini irato, sustinere, si quis irriserit, aut detraxerit, aut in aliquo mihi molestus fuerit, atque pro salute eius ferventer intercedere nec homini indignari, sed antiquo serpenti, qui ipsum temptaverit, totum potius imputare.

Da mihi pacem servare cum fratribus meis, libenter obsequi illis patienterque ferre cum ipsis quamcumque penuriam in temporalibus ad tui nominis laudem.

[CAPITVLVM XIIII.]

De sanctis innocentibus ab Herode pro nomine Iesu occisis.

Benedico et gratias ago tibi, Domine Iesu Christe, spes pupillorum, gloria humilium et corona sanctorum omnium, pro innocenti occisione tot milium puerorum pro tui nominis causa trucidatorum.

Laudo et glorifico te pro primitiis martyrum, quos sine crimine passos ab hoc saeculo mundo corde et corpore abire fecisti donans et illis martyrii meritum, qui necdum rationis habebant usum.

Adoro aequitatem tuorum iudiciorum in omnibus operibus tuis mirabilem, qui humiles et innocentes aeterna gloria exaltasti, superbum vero Herodem cum sibi consentientibus perpetua confusione in infernum demersisti.

Supplico obnixe pietati tuae, innocentissime Iesu, doce me parvulorum innocentiam humilitatemque sectari corde et moribus, ut omni amaritudine et elatione postposita de cetero mitior, purior, humilior, patientior et alacrior inter consodales meos inveniar. Nec ulla mollities carnis me inquinet, sed perfecta vitiorum mortificatio ab omni noxa custodiat.

[CAPITVLVM XV.]

De inventione Iesu in templo.

Benedico et gratias ago tibi, Domine Iesu Christe, magister humilitatis et aeternae veritatis doctor altissime, pro stupendae humilitatis tuae exemplo et latentis in te sapientiae luce hominibus monstrata, dum festivitatis gratia Hierosolymam cum parentibus ascendisti offe-

rens Deo patri pro nobis vota laudis et precum sanctarum atque in medio doctorum puer duodennis sedisti humiliter illos audiens et prudenter interrogans omnium aspicientium in te oculos convertisti.

Laudo et superexalto te devotione praecipua pro reverentiali oboedientia tua, quam parentibus diu sollicite te quaerentibus et invenientibus exhibuisti, dum illorum imperio tu, imperator caelorum, humiliter subditus extitisti et propriae voluntati statim renuntiasti. Cumque verbum ad se dictum non caperent, cum ipsis pariter de Ierusalem in Nazareth ut optimae parentis oboedientissimus filius descendisti.

O dulcissime Iesu, puer amantissime, omnis sanctitatis ac virtutis speculum, doce me propriae voluntatis frangere perversitatem, libenter acquiescere consilio seniorum, devote visitare Dei templum, attente audire praedicare sermonem tuum, doctores ecclesiae venerari, superioribus libenter oboedire et in perfecta subiectione omnibus diebus vitae meae tibi laetanter servire.

ST. ALBERT'S COLLEGE LIBRARY

[CAPITVLVM XVI.]

De sancta et occulta vita humilis Iesu.

Benedico et gratias ago tibi, Domine Iesu Christe, pro excellentissima sanctitate conversationis tuae, quam cum parentibus in Nazareth diu secrete duxisti ab anno duodecimo usque ad tricesimum aetatis tuae annum cum eisdem in magna paupertate, humilitate et subiectione victitando.

Laudo et exalto te ingenti cordis affectu pro humillima tua latitatione inter homines et concives tuos, quod te fabri filium nominari dignatus es pariter et putari nec aliquod divinitatis signum ad tuam deitatem cognoscendam publice ostendisti.

O humilitas Christi, quantum confundis superbiam vanitatis meae et quam lucido exemplo me admones fugere apparentiam humanam, declinare turbas saecularium, eligere occulte vivere, optare soli Deo innotescere, curam propriae salutis prae omnibus agere nec ad hominum aspectus aedificationis gratia subito procedere, sed potius verbum vitae diligenti nisu observare, donec ad fructificandum caelitus fuerit admonitio facta.

Adiuva, dulcis Iesu, bone magister, absconditae vitae tuae formam vigilanti

corde inspicere et me ipsum tibi interius dedicare, abiectionem et absconsionem semper diligere et de mundi rebus totaliter silere: quae tua sunt et divina, summo desiderio amplecti et intra cordis secretarium conversationis tuae claudere librum.

[CAPITVLVM XVII.]

De baptismate Iesu et nostra sanctificatione in aquis.

Benedico et gratias ago tibi, Domine Iesu Christe, fons bonitatis et origo virtutum, pro humili susceptione sacri baptismatis, pro impletione omnis iustitiae, pro spontanea submissione sub praecursoris tui manibus, a quo in Iordane dignatus es baptizari consecrans nobis baptismi fluenta, in quo cunctis baptizandis, parvis videlicet et magnis, exemplum tribuisti, quatenus salutiferae regenerationis humiliter suscipiant sacramentum, si caelestis regni voluerint intrare mansionem.

Nos quidem in tuo baptismate abluti sumus, nobis profuit illa sanctificatio, non tibi, qui labem peccati nullam habuisti.

Laudo et honorifico te, o summum venerandumque caput angelicis etiam

spiritibus tremendum, pro tua humillima inclinatione, descensione et humectatione in Iordane pro peccatis nostris abluendis.

Benedico et glorifico te pro revelatione caelestium secretorum, pro summae Trinitatis praesentia manifeste ostensa, pro aeternae vitae introitu patefacto, pro beati praecursoris tui Iohannis Baptistae mirifica illuminatione, humillima responsione et prompta eius oboedientia.

O Iesu, rex altissime, quantum te hodie pro me vilissimo peccatore inclinasti, quanta divinae gratiae mihi dona modo declarasti. Respice in me et misere omnium peccatorum meorum, quae variis modis contraxi aperte et occulte.

Peto a te baptizari in spiritu et igne; in multis enim tuam offendi pietatem. Amplius lava me ab iniquitate mea et a peccato meo munda me. Nemo enim mundus a sorde, nec infans unius diei, super terram, nisi tu solus mundus et mundator, solus sanctus et sanctificator, qui potestatem habes hominibus dimittere peccata eorum secundum multitudinem miserationum tuarum.

Obsecro, Domine, vivat anima mea ob gratiam tui, nec memor sis iniquitatum mearum antiquarum, sed velut aquilae renova iuventutem meam. Dimitte praeterita, fac cavere futura et novam mihi

infunde gratiam ad tuae divinitatis perpetuam gloriam promerendam.

[CAPITVLVM XVIII.]

De ieiunio et temptationibus invictissimi Iesu.

Benedico et gratias ago tibi, Domine Iesu Christe, pro sacro ieiunio tuo, quod in deserto quadraginta diebus ac noctibus ad dandam nobis abstinendi normam solitarius peregisti, ubi tamquam eremita cum bestiis eras sine hominum solacio, sed angelico nullatenus destitutus consortio religiosis omnibus magnum in hoc facto abstractae vitae exemplum commendando.

Laudo et honorifico te, Iesu Christe, cibus angelorum et hominum refectio, pro longo famis cruciatu, pro mira abstinentia et dura sanctissimi corporis tui castigatione, pro multis prolixis vigiliis, pro sanctis orationibus et purissimis meditationibus in vasta solitudine fideliter consummatis.

Laudo et superexalto te in aevum pro forti certamine contra diabolum, pro multiplici vexatione temptatoris nequissimi, pro contemptu omnium iniquarum suggestionum, pro prudenti responsione scripturarum ad eius obiecta, pro gloriosa

victoria trium principalium vitiorum ad perpetuam satanae confusionem et ad nostrae infirmitatis roborationem salubriter perpetratis.

Laudo et adoro te reverenter flexis genibus cum angelis sanctis digno honore tibi ministrantibus petens alimoniam vitae, subsidium gratiae, confortationem in tribulatione, fortitudinem in temptatione, protectionem ab insidiis inimici, quamdiu dego in deserto huius saeculi.

Credo et confiteor, quia tu es Christus, filius Dei, Deus et dominus angelorum, creator generis humani ac redemptor in nostrae carnis infirmitate per omnia probatus et temptatus, ut misericors fieres et nobis compatiendo a peccatorum languoribus nos sanares.

O pie Iesu, athleta fortissime, qui tam strenue pro me ieiunasti, tam fortiter dimicasti et vicisti, da mihi contra mundum, carnem et diabolum viriliter certare et omnem impetum temptationis immobili corde repellere. Mitte in solacium exilii mei sanctos angelos tuos, ministros lucis et pacis, ut me saepius visitent, fideliter custodiant, potenter adiuvent, benigne consolentur, copiosius benedicant et sanum ac salvum ad te, Dominum meum Iesum Christum, post huius vitae terminum felici iucunditate perducant. Amen.

[CAPITVLVM XVIIII.]

De sancta praedicatione et salutari doctrina Iesu.

Benedico et gratias ago tibi, Domine Iesu Christe, pastor bone et custos ovium tuarum fidelissime, pro caritativa sollicitudine pro animarum salute et pro ardenti desiderio evangelizandi verbum Dei in populo, qui post exitum tuum de deserto venisti regnum caelorum praedicare ac tuba salutari per totam Iudaeam intonuisti, ut omnes paenitentiam agerent, vitam mundi contemnerent et caelestia bona requirere festinarent. Eia dulcissime Iesu, quam diligenti cura circuisti vicos et plateas, oppida et castella, ut peccatores converteres, contritos corde sanares ac vere paenitentibus indulgentiam conferres.

Laudo et glorifico te ex totis praecordiis meis pro melliflua doctrina tua ac fervida praedicatione per totam Galilaeam atque Iudaeam diffusa nec non pro inclita fama tua ad exteras nationes longe lateque divulgata.

Benedicta sancta labia tua linguaque gratissima, quibus totiens caelestis vitae dulcedinem expressisti et aeternae veritatis sententias insinuasti atque toti mundo

verum et admirabile lumen, quod tu ipse es, patenti voce annuntiasti.

Rogo te, amantissime Iesu, magistrorum optime, confer mihi salutaris doctrinae tuae fluenta sitibundo haurire pectore, diligenter animadvertere, prudenter intellegere, suaviter degustare et omnia exercitia mea secundum sacra dicta oris tui debite formare, quia nusquam tam prompte et lucide perfectionis viam invenio, sicut in sanctissimi evangelii clarissimo speculo ad legendum mihi et cunctis patefacto. In te, Domine, fons aeternae sapientiae, lumen vitae ac totius suavitatis plenitudo exuberat et perseverat. Inclina ergo cor meum in testimonia tua. Aperi aurem meam in verba oris tui. Averte oculos meos, ne videant vanitatem; in via vitae tuae vivifica me. Licet enim simplex et facilis appareat evangelicus stilus, est tamen profundus et altus plenusque mysteriis caelestibus, ad quae capienda totus mundus non sufficit.

[CAPITVLVM XX.]

De gloriosis signis et benivolentia Iesu.

Benedico et gratias ago tibi, Domine Iesu Christe, virtus Dei et sapientia patris, pro tuis gloriosis signis et eximiis miraculorum prodigiis, quibus mundum

magnifice illustrasti et mentes infidelium ad credendum tibi invitasti faciens plane apertis testimoniis et radiantibus signis intellegi, quia tu es Christus, filius Dei vivi, qui in hunc mundum pro redemptione hominum advenisti.

Laudo et honorifico te pro immensa caritate tua, quod ita largum et benivolum cunctis populis te exhibuisti, ut tam pauperes quam debiles, etiam et vilissimi peccatores, ad te accedere auderent, eisque affandi et tangendi te liberam tribueres facultatem.

Benedicti oculi tui sole lucidiores, quos misericorditer super turbas ad te venientes sublevasti, quibus tanta pietate compassus es, ut absque refectione nequaquam abire in domos suas sineres, sed de paucis panibus et modicis pisciculis multa milia hominum semel et iterum magno patrato miraculo superabundanter satiasti.

Benedictae manus tuae venerabiles, quas super varios aegros alacriter extendisti, ac tactu tui sacratissimi corporis omnem infirmitatem et languorem celeriter effugasti.

Benedicti pedes tui speciosissimi saepius pro animarum salute fatigati et pulvere sordidati, quibus per terram huc illucque ambulasti verbum vitae ubertim

seminando, nunc in montibus, nunc in loco campestri aperte docendo: qui etiam in testimonium sacrae doctrinae tuae miracula crebra operatus es paralyticos erigendo, caecos illuminando, leprosos mundando, daemones eiciendo et mortuos deifice suscitando.

O inclite Iesu, lux mundi et salus populi Israel, vita, virtus et gloria nostra, respice propitius infirmitatem meam et de corde meo omnem expelle passionem. Illumina oculos meos interiores, ut videam lumen caeli. Aperi aures intellegentiae meae, ut audiam, quid loquaris in me, Deus meus. Erige me de grabato acediae, ut ambulem de virtute in virtutem. Rectos fac pedes meos in mandatis tuis et aridas manus meas robora ad diligentiam laboris. Munda me a lepra carnis, sana me ab ira furoris, deprime tumorem superbiae, eripe ab invidiae stimulo, defende ab ingluvie ventris, repelle pestem avaritiae, contere motus lasciviae. Haec sunt enim gravissimae passiones aegrotantis animae et occultae agitationes daemonum a te, Domine Iesu, sanandae et in verbo virtutis tuae expellendae. Nemo potest haec spiritualia vulnera curare et interiora sanctitatis signa operari, nisi tu solus, Deus omnipotens, qui dicis, et statim fiunt, prae-

cipis, et sine mora adimpletur verbum tuum. Dic ergo animae meae: Mundare, et mundabitur. Dic spiritui immundo, qui me saepius temptat: Exi ab homine et ne amplius introeas in eum. Dic animae meae in omni tribulatione: Salus tua ego sum, noli timere. Dic tantum unicum verbum, et sanabitur anima mea.

[CAPITVLVM XXI.]

De exemplis bonisque moribus Iesu et de tribulationibus eius in mundo.

Benedico et gratias ago tibi, Domine Iesu Christe, exemplar sanctitatis, forma morum, flos virtutis, odor vitae, laus patientiae, pro omnibus virtutibus tuis et suavissimis moribus, pro singulari mansuetudine et optimis exemplis coram discipulis tuis et omni populo Israel palam exhibitis, quibus corda simplicium ad dilectionem tuam dulciter invitasti; sed et dura peccatorum pectora per affabilitatem oris tui ad paenitentiam commovisti, doctis etiam aedificationis exemplum in omni actu tuo et doctrina praebuisti.

Laudo et glorifico te pro universis incommodis et necessitatibus tui corporis in mundo perpessis, quas pro mortalibus vermiculis homo mortalis effectus ab ipso nativitatis ortu usque ad crucis pati-

bulum subire dignatus es saepius famem ac sitim, frigora et calores, laborem et fessitudinem, tristitiam et pavorem cum omni mansuetudine cordis tolerando.

Laudo et honorifico te pro multis et gravibus persecutionibus, pro malignis insidiis et indignis blasphemiis a scribis et pharisaeis tibi frequenter illatis nec non pro magna ingratitudine et invida detractione tibi reddita pro tam innumeris beneficiis et inclitis signis in populo gloriose peractis.

Laudo et superexalto te pro immensa caritate tua ad omnium hominum conversionem et salutem, pro crebris et longis pernoctationibus in oratione deductis, pro gemitibus et lacrimis ex compassione effusis, pro gaudio et congratulatione omnium piorum ad fidem conversorum, pro magnifica gratiarum actione et interna mentis elevatione, de tot mirabilibus operibus tuis in laudem et gloriam patris tui caelestis digne consummatis.

O summe venerande Iesu, clarissimum vivendi speculum, tribue mihi pauperi servo tuo valde male adhuc morigerato honestissimos ac suavissimos mores tuos pia consideratione inspicere et omnes actus meos gestusque secundum normam vitae tuae formare, ut discam mitis esse et humilis corde, ut sim sobrius in victu,

simplex in vestitu, pudicus visu, maturus incessu, quietus mente, tacitus ore, providus actione, intus ac foris custoditus, vigil in oratione, devotus in meditatione, diligens ad laborem, patiens ad correptionem, promptus ad oboedientiam, tractabilis ad omne bonum, non tardus, non neglegens, non tristis, non turbulentus, non vagus, non clamorosus, sed pius, serenus, iucundus ac modestus.

[CAPITVLVM XXII.]

De festo palmarum et humili equitatu Iesu in Ierusalem.

Benedico et gratias ago tibi, Domine Iesu Christe, clemens salvator mundi ac misericors redemptor generis humani, pro tuae stupendae humilitatis declaratione et ineffabilis pietatis magnitudine, quam hodierna die dignatus es exhibere, cum supra dorsum aselli nudis pedibus ascendisti et cum multa turma ac laudibus puerorum sanctam civitatem Ierusalem introisti.

Laudo et glorifico te, inclite Iesu, fili David, pro sollemni reverentia a populo Israel tibi hodie impensa, a quo rex et propheta magnus agnitus es et altissimis vocibus praedicatus.

Laudo et honorifico te pro mira dilectione tua et invicta mansuetudine, quod ad illos homicidas voluisti lenis et spontaneus venire, a quibus te noveras in brevi occidendum, pro quorum peccatis et malitiis uberes fudisti lacrimas praedicens ipsis, quanta mala futura sequerentur post gaudia praesentia.

Laudo et glorifico te pro fervido zelo tuo contra delinquentes, quod statim ingressus es templum et vendentes ac ementes de domo patris tui expulisti, eo quod domum orationis speluncam fecissent latronum.

Et sicut iniustis avaris et animarum suarum venditoribus severus apparuisti, sic iterum valde pius et misericors egenis et debilibus extitisti verbum doctrinae ac opem curationis gratiose multis largiendo.

O inenarrabilis virtus Christi, o summa pietas filii Dei, quis loquetur potentias tuas, Domine, et auditas faciet omnes laudes tuas? Memento mei, Iesu, in beneplacito tuo; visita me in salutari tuo. Veni, dilecte Iesu, et perduc me in sanctam civitatem Ierusalem, non quae occidit prophetas, sed quae construitur in caelis, ubi summa civium supernorum unitas. Ascende super pullum asinae omnes leves et lubricos motus carnis meae domando continentiae freno.

Bonum est mihi portare Dominum meum et subditum esse legi tuae nec recalcitrare praecepto oboedientiae, sed cum patientia et mansuetudine onus impositum supportare. Nec umquam cessandum a labore est et a spirituali profectu, neque altera via eundum, sed in sancto proposito procedendum, donec te iuvante et ducente ad Ierusalem supernam veniatur, ubi pax est sempiterna.

Ideoque cum pueris Hebraeorum ad te devote exclamo dicendo: Hosanna filio David, salvifica me in excelsis. Ave, rex mundi, salvator domus Israel, quem prophetae ab origine mundi venturum praedicaverunt, et plebs Hebraea hodierna die cum gloria laudis gaudens suscepit.

Te adoro, te glorifico, qui in nomine patris tui venisti nos redimere de manu inimici et tuo pretioso sanguine Deo patri reconciliare.

Obsecro quoque, Domine Iesu, intra templum cordis mei, et quidquid ibi maculosum perspexeris et profanum, expurga et elimina procul a me. Eice de tabernaculo tuo varias formas rerum saecularium, imagines locorum et personarum. Everte mensas nummulariorum, ne cupido avaritiae illiciat. Aufer strepitum iumentorum et columbarum, ne copia rerum temporalium me a caelesti de-

siderio retardet. Arripe flagellum de funiculis timoris tui confectum et expelle in forti zelo omnes phantasias et spurcitias diaboli, quas frequenter in ecclesia orationis tempore pessimus mercator diabolus ostentare solet, ne anima mea graviter temptata et vanis illusionibus allecta in consensum ducatur atque improvida iuguletur. Succurre, Iesu fortissime, et non me permittas a laqueis diaboli et propria iniquitate devinci. Praeserva a malo, conforta in bono, ut aeternae damnationis evadam pericula et tecum pergam in caelestis Ierusalem aeterna tabernacula.

[CAPITVLVM XXIII.]

De cena Dominica, in qua post agnum typicum Christus Iesus instituit corporis et sanguinis sui sacramentum.

Benedico et gratias ago tibi, Domine Iesu Christe, panis vitae et fons aquae salutaris, pro tuo sacratissimo convivio ultimae cenae cum discipulis tuis, quod diu magno cum desiderio celebrare desiderasti, quando tu, Domine, rex caeli et terrae, cum pauperculis illis discipulis et impio Iuda praesente in eadem mensa et ex eodem uno catino cenasti et inter prandendum sacrae exhortationis verba dulciter protulisti ipsumque Iudam de

sua malitia benigna admonitione revocare studuisti.

Laudo et glorifico te pro immensa largitate excellentissimae caritatis tuae, quod post esum agni paschalis ad terminandam legem veterem pretiosissimi corporis et sanguinis tui sacramentum in memoriam passionis tuae et perpetuae dilectionis tunc primum instituisti tradens hoc idem sacramentum tuis benedictis manibus singularis devotionis affectu omnibus discipulis ad manducandum simulque ipsis et eorum sequacibus presbyteris ab eis ordinandis formam ostendens consecrandi ac deinceps usque in finem saeculi auctoritatem plenam tribuens missam celebrandi.

O singularis et admiranda exhibitio caritatis! O superabundans liberalitas divinae largitatis, ubi donator venit in donum, et datum penitus idem est cum datore! O digna et numquam praetermittenda memoria, in qua anima fidelis recolit mortem suam mortuam et vitam in suo dilecto, quem accipit, invenisse perpetuam! O stupor super stuporem et suavitas super omnem suavitatem habere Deum veraciter praesentem, mirabili sub sacramento latentem, quem angeli sancti adorant supra se elevatum in caelo, clara specie omnibus apparentem.

Ad huius sanctissimi sacramenti communionem digne percipiendam tribue, suavissime Iesu, cor contritum pro peccatis, conscientiam puram in confessione, mentem elevatam in oratione, fidem fortem, spem magnam, affectum ardentem, devotionem lacrimantem, reverentiam cum amore, laetitiam iubilantem cum tremore et intima gratiarum actione, profundam inclinationem ex vera cordis humiliatione procedentem ad divinae maiestatis tuae celsitudinem complacandam.

[CAPITVLVM XXIIII.]

De lotione pedum et sacro sermone in cena Iesu.

Benedico et gratias ago tibi, Domine Iesu Christe, sancte sanctorum altissime, pro illo profundae humilitatis tuae et servilis obsequii exemplo maximo, quod nobis ad imitandum demonstrasti et reliquisti, dum tu, sanctissime Deus, humilium servorum tuorum, pauperum scilicet piscatorum, pedes dignatus es tuis benedictis manibus ac flexis genibus studiosissime abluere, extergere ac deosculare; sed et perfidissimi traditoris tui plantas consimili caritate lavare non omisisti, licet ipse tantis beneficiis ingratus in sua permaneret pravitate obstinatus, totus ab intra sordidus et illotus.

O mira benignitas magistri in tam durum discipulum, o amicabilis obsecutio piissimi Domini in servum nequissimum, qui tantae fuit duritiae, ut nec familiaritate convivii nec humanitate obsequii nec suavitate colloquii a sua concepta malitia potuerit abduci.

Laudo et honorifico te pro longo accubitu huius sacratissimae finalis cenae, in qua tam multa mira gessisti caritatis opera, ut ad ea digne commemoranda nulla sufficiunt tempora vel momenta.

Laudo et glorifico te, Iesu, consolator optime, instructor suavissime ac roborator validissime, pro illo eximio et longo divinoque sermone, pleno caritatis igne et dulcedinis favo, quem discipulis tuis post lotionem pedum et Iudae proditoris recessum lucidissima voce praedicasti, quo tristia ipsorum pectora confortare et consolari adversus imminentes tribulationes studuisti spem certam de resurrectione tua pollicitans et de eorum confirmatione ex adventu paracliti, de assumptione ipsorum ab hoc exilio in caelestem patris tui mansionem multa pulcherrima contexendo eloquia. Ac tandem in fine huius sacri sermonis omnes pariter Deo patri in vera cordis unione fidelissime commendasti dicens: Volo, pater, ut omnes unum sint, sicut et nos unum sumus.

Dehinc in hortum a tumultu populi separatum pro secreto orationis aptum cum discipulis introisti ibique ad initium dolorum et sacrae passionis te praeparasti ita inquiens: Sedete hic et vigilate mecum, donec vadam illuc et orem.

Obsecro te nunc, piissime Iesu, magister et Domine meus, ut mihi vilissimo peccatori et indigno mancipio tuo concedas de tam caelesti sermone et tam vividis exemplis actuum tuorum intenta mente meditari. Da praecipue ad omnia humilia opera et servilia obsequia flectere cervicem meam durissimam et superbam erubescentiam funditus vincere, quatenus non solum devotis fratribus et amicis, sed etiam contrariis mihi personis moribus vel membris distortis discam pietatis impendere ministeria. Non sit mihi grave veniam pro meis neglegentiis petere, quando tu, Deus meus, verecundatus non es coram discipulis tuis sanctissima genua tua in lavando flectere. Tuo ergo admonitum exemplo iuva me implere, quod de te audio et lego.

Verum quia valde defectuosus sum et multis malis affectionibus inquinatus, ideo opus est mihi magna purgatione ad diluenda peccata. Ad te igitur manus meas expando et genua cordis mei humiliter flecto orans, ut non tantum pedes meos,

sed et manus et caput diligenter ac munde lavare digneris; multa enim contra te deliqui cogitatione, locutione, opere et omissione.

Lava itaque me, Iesu, ab omni sorde delictorum meorum, munda me ab omni inquinamento carnis et spiritus, ut plene purgatus tecum habere merear partem aeternae beatitudinis, quam omnibus dilectis tuis tecum in temptationibus perseverantibus te daturum promisisti.

Aperi etiam intellectum cordis mei ad clare percipiendum suavissimum oris tui sermonem in cena praedicatum. Sunt enim illa verba ardentissimae caritatis, suavissimae consolationis et altissimae intellegentiae. Scribe mandatum novum in corde meo, ut gemina caritate ardeat anima mea; conforta me in omni pressura et pro gaudio saeculari dulcissimam sancti Spiritus consolationem mihi infunde.

Da veram pacem cordis, quam mundus dare non potest, da spiritum paraclitum, quem mundus non videt neque cognoscit. Veni, Domine Iesu, et mansionem apud me facere digneris, ut tu in me et ego in te pariter in unum habitemus.

[TRACTATVS PRIORIS
PARS ALTERA.]

DE PASSIONE CHRISTI SECVNDVM SCRIPTA QVATVOR EVANGELISTARVM.

[CAPITVLVM I.]

De venditione Iesu a perfido Iuda traditore.

BENEDICO et gratias ago tibi, Domine Iesu Christe, summa bonitas et aeterna maiestas, pro tua iniusta venditione pro tam vili et modico pretio, quo venditus fuisti triginta argenteis a proprio discipulo.

Laudo et honorifico te pro tua mitissima sufferentia perfidi discipuli, quod adversus eum non es commotus neque durius locutus, sed neque aliis eius nequitias statim indicasti nec post tantum facinus ab officio et sacra communione eum suspendisti, licet ipsum ad tuam traditionem festinare praecognovisses.

O mansuetissime Domine Iesu, quanta est patientia tua et impatientia mea.

Vae mihi, quod tam parum possum de fratre meo tolerare, si quid contra me dixerit vel fecerit. Tu Iudam discipulum tuum tanto tempore, cum esset venditor tuus et traditor futurus, sine querela supportasti: ego autem pro modica iniuria cito irascor et ad vindicandum me seu excusandum varias cogitationes imaginor. Vbi est tunc mansuetudo et patientia mea?

Adiuva me, Iesu bone, et mansuetudinis tuae virtutem abundantius cordi meo insere, quia sine tua speciali gratia et inspiratione neque tranquillitatis bonum possum inter tanta vitae huius contraria possidere.

[CAPITVLVM II.]

De tristitia et pavore Iesu pro nobis assumptis.

Benedico et gratias ago tibi, Domine Iesu Christe, omnium fidelium conditor et redemptor, pro doloroso initio amarissimae passionis tuae, pro nimia tristitia animae tuae, pro anxietate et pavore infirmae naturae carnis, quam pro nobis voluntarie assumpsisti, quando instante hora traditionis coepisti pavere et maestus esse. Atque eandem tristitiam in auribus discipulorum tuorum non erubuisti

palam confiteri dicens: Tristis est anima mea usque ad mortem. O mira Dei dispensatio! Tu, Domine virtutum, qui paulo ante discipulos ad certamen roborasti, nunc morem geris infirmorum quasi viribus et animo destitutus.

Quod utique propter nos debiles et pusillanimes confortandos egisti salubrius, ne forte aliquis durius temptatus desperet de venia vel salute, si ad tolerantiam minus hilaris, aut ad subeunda quaedam carni suae contraria trepidus inveniatur et tristis, dummodo dicat tamen, quae te dixisse legitur: Verumtamen non sicut ego volo, sed sicut tu vis.

Quaeso te, o amantissime Iesu, unica spes mea in omni tribulatione et angustia, fac me huius benedictae passionis tuae dolorosa initia compassivo corde rimari et ex tristi exordio ad amariora contemplanda paulatim ascendere, ut in singulis dolorum tuorum passibus salutiferum animae meae remedium valeam apprehendere.

Da mihi patienti animo tristitias quascumque advenientes pro tui nominis gloria sufferre nec in desperationem ex multiplici tribulatione cadere, sed in aeternae dispositionis tuae beneplacito me ipsum ex integro resignare.

[CAPITVLVM III.]

Trina oratio et prostratio Domini Iesu ad patrem et resignatio voluntatis.

Benedico et gratias ago tibi, Domine Iesu Christe, firmamentum angelorum, refugium desolatorum, pro tua anxia supplicatione ac humili super terram prostratione, quia trina vice flexis genibus patrem tuum caelestem devote et intente exorasti, ut si possibile foret, calix passionis a te tolleretur, addendo tamen semper: Verumtamen non sicut ego volo, sed sicut tu.

Laudo et glorifico te pro forti certamine contra mortis horrorem et acerbissimae passionis dolorem, quando tanto amore divino accensus es, ut omnem humanum pavorem excluderes.

Laudo et gratias ago tibi pro larga sanguinei sudoris tui effusione, quando factus in agonia prolixius orasti et contra naturam guttas sanguineas de tuo corpore abunde sudasti.

Adoro et glorifico te pro humili susceptione angelicae confortationis, quam tu, creator et rector caelestium spirituum, pro nostrae parvitatis roboramine non despexisti ab angelico ministerio recipere, ut nos pusilli non ad transitoria solacia, sed ad caelestia studeamus recurrere suffragia.

O dulcissime Iesu, quanto dilectionis ardore me dilexisti, pro quo tam ferventer orare voluisti, ut etiam supra liquores naturales ex magno patiendi desiderio calidum sanguinem usque in terram profluentem sudares.

Laudo et honorifico te honore perpetuo, summe auctor animae meae et singulare exemplar vitae meae, pro plenaria resignatione tua, pro abnegatione omnis propriae voluntatis et naturalis inclinationis partis sensitivae, qua poenam et mortem naturaliter abhorrebas: et tamen sine aliqua contradictione, cum patiendi hora instaret, sponte ac libere in voluntatem patris tui te ipsum mox resignasti dicens: Pater, non mea voluntas, sed tua fiat. In quo quidem verbo patrem caelestem altius glorificasti, nobis amplius promeruisti, diabolum potentius vicisti et cunctis fidelibus tuis formam perfectionis, signum salutis et iter consummatae virtutis apertissime demonstrasti.

O adorande et semper memorande Iesu, precor te intimo cum affectu, tribue mihi huius trinae orationis tuae fructum potiri et exemplum tuae abnegationis in assumpta religione perfecto corde aemulari. Da quoque recalcitrantem carnem spiritui viriliter subdere, omnem carnalem formidinem abicere, saepius ad oratio-

nem recurrere, in oratione vigilanter persistere, spem de auxilio tuo pie concipere, tibi omnis rei exitum fideliter committere, omni propriae voluntati funditus abrenuntiare et ad quaecumque patienda animum semper habere paratum.

[CAPITVLVM IIII.]

Quomodo Dominus Iesus venit obviam traditori suo.

Benedico et gratias ago tibi, Domine Iesu Christe, liberator et salvator noster, pro tua voluntaria ad passionem promptitudine, quando post trinam orationem Deo patri oblatam, venientibus in tenebrosa nocte saevissimis inimicis tuis una cum traditore tuo Iuda nequissimo, cum turba multa, cum gladiis et fustibus, cum facibus et armis tamquam ad latronem comprehendendum, mox illis obviam ultroneus processisti dicens: Quem quaeritis? Ego sum. Si ergo me quaeritis, sinite hos abire. Ad quam sane virtutis tuae primam vocem turbata est omnis illorum superba audacia et magnam passa confusionis ruinam. Nam statim abeuntes retrorsum ceciderunt simul in terram. Quid ergo factum fuisset, si duodecim legiones angelorum accito venissent? Sed siquidem pati veneras,

divina noluisti uti potentia, sed magis benignissima sufferentia. Ostendisti autem in modico verbo, quantum posses in maximo. Permisisti tamen impios ad horam dominari tibi et vehementer super te malignari, ut propria sponte te passurum demonstrares, ut opus nostrae redemptionis perficeres et scripturas adimpleres prophetarum.

Laudo et glorifico te, innocentissime agne Dei, Iesu Christe, pro tua ineffabili mansuetudine et insuperabilis lenitatis virtute, quod adversus fraudulentissimum proditorem non es succensus neque praesentiam eius indignanter aversatus, sed potius amicabili dignatus fuisti colloquio solita illum pietate amicum appellans atque dulcissimum oris tui osculum, quo dignus non erat, amanter ei indulsisti dicens: Amice, ad quid venisti? Cuius etiam temeritatem, fraudem atque nequitiam humili corripuisti sermone: Iuda, osculo filium hominis tradis? Sed pro dolor ille nec veritus iustitiam nec mollitus per amicitiam nequaquam manus suas a gravissimo continuit scelere, sed factus dux comitum malorum, qui consors fuerat apostolorum, dedit eis signum dicens: Quemcumque osculatus fuero, ipse est, tenete eum. O nequissimum discipulum in piissimum magistrum!

O servum perfidissimum in dominum fidelissimum!

O quam miranda pietas, quam magnifica patientia illa tua, Iesu piissime, mitissime, quod in tanta persecutione et fraudulenta traditione non es oblitus veteris amicitiae et dulcedinis, sed pro grandi iniuria beneficium impendisti sanitatis, dum mutilatam a discipulo aurem servi pontificis sacrae manus tuae tactu curasti ipsumque defensorem tuum Petrum ab invadentium laesione compescuisti dicens: Converte gladium tuum in locum suum. Calicem, quem dedit mihi pater, non bibam illum? Quia sic oportet fieri.

Obsecro nunc, Deus meus, largire mihi fragili calamo ampliorem patientiam in casibus adversis, ne repentina ira me superet, nec ulciscendi passio ad reddendam increpationem inflammet, quando contrariantium super me ruunt insultus, aut aliqua mihi obiciuntur, de quibus me aestimo innocentem. Da non timere arguentem, sed in bono increpationes recipere et illum amicum meum reputare, qui durius me arguit et premit. Non mihi oriatur indignatio de austeritate monstrata, nec iniustae offensionis recordatio in me moretur, sed tua benignissima malorum tolerantia ad voluntariam

roboret patientiam cum desiderio adhuc deteriora pro amore tuo patiendi.

[CAPITVLVM V.]

Horrenda captio et deductio Domini Iesu.

Benedico et gratias ago tibi, Domine Iesu Christe, spes sanctorum et turris fortitudinis eorum in omni tribulatione, pro tua violenta ab odiosis hostibus captivatione, pro audaci manuum sacrilegarum iniectione quaerentium te tenere, pro torvo eorum contra te inspectu et minaci armatorum clamore, pro dura et crudeli tua alligatione, pro firma et immiti detentione, pro festina et confusiva deductione ac inhonesta illa tractatione cum laesiva stimulatione, quando a vilissimis et abiectis histrionibus cum furioso tumultu pertractus es ad mortem, fugientibus carissimis discipulis tuis et a longe respicientibus cum gravi luctu atque maerore.

O rex regum, Domine, qui creaturis omnibus dominaris et solus inter mortales liber existis, quomodo te sic pateris violenter capi ab iniquis manibus et tam viliter deduci ab hominibus, quos ipse creasti et quibus bonum semper fecisti. Heu quam grave in te commissum est facinus, quam temere omnipotentiae tuae

derogatum, dum tu, liberator animarum, funibus astringeris damnatorum, et qui purus es ab omni peccato, captivus duceris tamquam pessimus latronum. Sed haec patientissime voluisti propter nos sufferre, summe virtutum artifex, Iesu piissime, ad dandum singularis mansuetudinis exemplum, ut adimpleres evidentissimum illud Isaiae verbum: Sicut ovis ad occisionem ducetur, et sicut agnus coram tondente se obmutescet et non aperiet os suum, oblatus est, quia ipse voluit.

Compatere nunc, anima mea, super dolore et captivitate amantissimi Domini Dei tui omnia haec propter peccata tua voluntarie patientis. Ingemisce profunde, et lamentis madescant oculi, quod tam indigne tractatur pro te unicus filius Dei. Vide, quid faciunt impudentissimi canes, impii Iudaei. En tenent Iesum captivum et ligatum ducunt ad Annam et Caipham, principem sacerdotum. At ille non resistit, dum capitur, non murmurat, cum ligatur, non recalcitrat, cum ducitur, non maledicit, dum trahitur, sed vadit ut mansuetus, tacet ut agnus, sequitur ut innocens, patitur ut humilis.

Nunc precor te, Deus meus, ut huius dolendae captivitatis tuae acerbitas frequenter ad cordis mei intima veniat et

maxime matutinali tempore ad sanctae orationis fervorem me excitet, omnem torporem repellat, alacrem atque vigilem in laude tua perseverare faciat, ut saltem aliquid laboris tuae redonem caritati, qui pro me nocturno tempore natus, nocturno tempore traditus, captus et funibus ligatus fuisti. Ero ergo memor nocte nominis tui, Domine, pensando, quanta passus sis pro me vilissimo peccatore.

Dura vincula tua libertatem veram mihi praebeant, ab inutili evagatione me restringant et in servitio tuo sub firma disciplina conservent. Non sit mihi difficile me ipsum frangere et relinquere, sed libenter iussa maiorum per oboedientiae tramitem sequar nec verear duci, quo non volo, dummodo tibi gratum sit, quod iubetur. Numquam rebellis inveniar, numquam litigiosus, non audax, non clamorosus, sed pius, tractabilis, paratus et non turbatus, ut custodiam mandata tua et cum humili devotione sanctae ecclesiae ritus observem et caerimonias. Inclina cervicem meam sub institutis regularibus et manus meas laboribus innecte sanctis. Vagari et otiari absurdum semper sit; vivere sub rigore et passiones proprias vincere summe desiderabile mihi duro et indomito efficiatur, et tuae captivationi et vinculationi in

modico passu per interiorem conformitatem valeam correspondere.

[CAPITVLVM VI.]

Derelictio Domini Iesu et fuga apostolorum.

Benedico et gratias ago tibi, Domine Iesu Christe, pastor bone magisterque benigne, pro tua maxima derelictione seu desolatione in illa extrema necessitate, quando ab omnibus discipulis et notis tuis inter hostes saevissimos fuisti solus derelictus. Nam fratres tui et amici specialissimi, qui pro te mori et animam dare spoponderant, adveniente necessitatis articulo omnes simul te deserto fugam acceperunt.

Laudo et honorifico te pro illa compassione poenali cordis tui, qua condoluisti discipulorum tuorum scandalizationi et discursui, quando te pastore in medio luporum posito illi tamquam oves gregis, sicut eis praedixisti, in propria sunt dispersi. O quanta tristitia, quantus dolor et gemitus in corde erat discipulorum, cum dominum et magistrum suum, quem omnibus relictis secuti fuerant, tam violenter a se tolli et in mortem trahi conspicerent. Sed tu, Domine, qui omnia nosti et nihil sine causa fieri

permisisti, tantam infirmitatem in electis membris ad futurum maius bonum procurasti. Denique ex hoc casu ad propriam fragilitatem sunt reducti et aliis infirmis fratribus compassibiles magis effecti atque postmodum omni tempore in maiori cautione et spiritus fervore manserunt humiles et devoti.

O quam utile mihi est hunc locum diligentius intueri et numquam de me ipso quid grande praesumere. Licet enim interdum aliqua gratia novi fervoris adsit oranti, nescio tamen quamdiu perseverabit, aut quid in tempore temptationis imminere possit. Si enim columnae caeli, apostoli Christi, in hora tribulationis concussi sunt, quid tunc de fragilissimo et inani homunculo aestimandum est, si in eum levis temptatio ingruerit? Quidam etiam, Domine, inculpant graviter apostolos sanctos, quod ita turpiter te reliquerunt et timore fracti evadere quaesierunt, sed non vident, quam cito ipsi a veritate amore vel odio cotidie avertuntur.

Precor itaque te, carissime Domine, ne me sinas ad tantam vesaniam cordis devenire, ut a sancto proposito semel arrepto discedam, sed sequar te, quocumque ieris, sive in vitam sive in mortem. Non fugiam a te tempore adversi-

tatis neque post concupiscentias meas vadam peccatis consentiendo, sed pro amore tuo et virtute sectanda laboribus et diversis angustiis viriliter me exponam, ne te summum bonum ob propriam inertiam amittam. Non mihi veniat pes superbiae de aliquo bono opere, nec praesumptuose cum Petro loquar me ipsum alicui homini praeferendo aut ceteris coaequando, sed cum timore tuo semper agam meam fragilitatem humiliter respiciendo.

Sit mihi lapsus sancti Petri et apostolorum fuga cautela peccati, et non scandalum. Sit mihi eorum reditus ad paenitentiam spes magna ad reimpetrandam misericordiam post ruinam. Non est enim aliquis tam sanctus, quin in aliquos veniales quandoque labatur defectus. Quando etiam contingit, ut ab amicis et notis relinquor desolatus, aut quando a multum dilectis vilipendor tamquam alienus et inutilis, tunc mihi pro singulari remedio tribue tuae gravissimae derelictionis et abiectionis recordari et omni humana consolatione libenter velle privari, quatenus vel in modico tuis tribulationibus merear configurari.

Indulge mihi, clementissime Iesu, quod te saepius offendi, tam faciliter ad vanitates defluxi nec cor meum in eo, quod

proposui, diligenter stabilivi. Heu quotiens respicio et in quam multis, quae nihil important, tempus expendo et tuam pro dolor passionem non attendo. Tu per artam viam me praecessisti, et ego siccis pertranseo oculis, quasi nihil ad me pertineat de doloribus tuis. Memento insipidi cordis mei et amorosam mihi infunde tuae amarissimae passionis recordationem.

[CAPITVLVM VII.]

Praesentatio Domini Iesu coram Anna sacerdote.

Benedico et gratias ago tibi, Domine Iesu Christe, dux vitae et auctor salutis nostrae, pro tua prima praesentatione coram Anna sacerdote, ubi de multis interrogatus et in maxilla pro humili et veridica responsione dure fuisti percussus.

Laudo et honorifico te, gloriose rex Christe, pro illa inhonoratione et contumeliosa alapisatione ab impudentis servi manu tibi iniecta, quando ad tui oris responsum fortissimum in faciem tibi reddidit ictum dicens: Sic respondes pontifici? Cui rursum tu, benignissime Iesu, imperturbabili mente et ore placidam dare responsionem non praetermisisti ita inquiens: Si male locutus sum, testi-

monium perhibe de malo, si autem bene, quid me caedis? O nefandissimum et vilissimum servum, qui tam amabilem creatoris sui faciem non timuit noxiis manibus suis percutere! O quam ineffabilis virtus lenitatis in te emicuit, Iesu venerande, qui tam iniuriosam percussionem non subita animadversione vindicasti, sed deliberata potius ratione caedentis animum correxisti.

Aspice nunc, Christi fidelis, et proba, an pro amore Iesu ictum in maxilla ferre possis. Ecce si non vales austerum verbum sine commotione perpeti, quomodo sustineres percussuram maxillae? Doles de Domini tui iniusta laesione, sed amplius dolendum, quod ita invalidum te sentis ad ferendas parvas iniurias pro Christi honore. Proponis fortia, meditaris excelsa, sed ad primam conviciantis perturbaris vocem et infirmiorem te invenis, quam putabas. Ad Iesum igitur confuge et pro virtute patientiae ipsum multo instantius deprecare.

O Iesu bone, virtus et fortitudo animae tribulatae, doce me argutiones et oblocutiones tranquillo corde suscipere atque iniustas querelas contra me citatas indignando ore non defensare, sed has miti silentio vincere, aut, si loqui oportet, grata sermonis placatione adversariis re-

spondere. Da sermonem rectum et pium in os meum in omnium adversantium praesentia et, dum contra me saevit manus impia, pro scuto inexpugnabili tribue, benignissime Iesu, humilem et inturbabilem mentis constantiam.

[CAPITVLVM VIII.]

De trina negatione beati Petri apostoli.

Benedico et gratias ago tibi, Domine Iesu Christe, praecognitor futurorum, qui ferventissimo discipulo tuo Petro lapsum suum ad cautelam praedixisti.

Glorifico te pro dolenda illa inhonoratione trinae negationis Petri apostoli, qua tunc maxime inhonoratus fuisti, dum ad infirmioris sexus vocem te nosse negat dicens: Non novi hominem.

Laudo et superexalto nomen tuum in aeternum pro benigno illo respectu, quo dignatus es beatum Petrum misericorditer respicere, ut statim galli cantu bis facto reatum suum agnosceret atque sine mora de medio iniquorum exeundo magna ex corde contritione gravissimum negationis suae delictum amarissime defleret.

Qui nequaquam in desperationis foveam ut infelicissimus Iudas irreparabiliter cecidit, sed tua ineffabili misericordia prae-

servante de copiosissima miserationum tuarum largitate et saepius sibi experta pietate confisus ad salutaris paenitentiae remedium per acerba lamenta cucurrit. Et ideo infinitae miserationis portam latissime sibi invenit apertam.

O inaestimabilis pietas salvatoris! O inexhauribilis fons patens miserationis divinae superemanantisque gratiae, unde peccator maximam spem veniae, et iustus larga gratiarum munera haurire consuevit. O quis mihi nunc tribuat fontem invenire lacrimarum, ut cum beato Petro peccata mea digne deplorem, quatenus delictorum meorum veniam gratiamque amissam eius nunc intervenientibus meritis merear recipere? Cecidit Petrus timore mortis devictus veritatem ter negando, sed ego cotidie in multis aeternam offendo veritatem levi occasione a via virtutis declinando. Petrus dum caderet, repente surrexit, ego citius cado, tardius resurgo, raro plango, male me custodio, pericula non satis evito. Petrus amare planxit, peccati occasionem lapsu doctus fugit, secretum quaesivit lacrimandi locum lavitque precibus luctuosis, quidquid maculosum contraxit verbis incautis. O felix lacrima, quae tam cito commissa delet crimina, et qua etiam perdita recuperatur gratia.

Memento mei, sancte Petre, et mihi fragili compatere peccatori multis gravibus passionibus involuto, ut non corruam sub onere vitiorum nec nimia absorbear tristitia post eventum malorum. Habes enim compassionem ceteris ampliorem cum his, qui prolapsi sunt, et nosti, quanta Dominus misericordia tibi subvenit.

Succurre ergo, pie pastor, erranti oviculae, extrahe lapsum de omni sorde, consolare tristem, confirma pusillum corde, protege ab adversario, custodi a multiplici laqueo et perduc tecum animam fratris, pro qua mortuus est Christus, in regnum supernae felicitatis, ubi tu ianitor et princeps existis.

Sed, o bone ac clementissime Iesu, rogo te intimis suspiriis, respice in me piissimis illis oculis, quibus Petrum post negationem tui respexisti, et sanctae compunctionis gratiam mihi citius infunde ad abluendum, quidquid contra te sponte seu neglegenter deliqui. Audi gemitum cordis mei, sana contritiones malae conscientiae, redde lumen novae gratiae, nec velis animam deperire paenitentis, pro qua redimenda multis te exposuisti doloribus et iniuriis ac tandem horrido supplicio crucis.

[CAPITVLVM VIIII.]

Deductio Domini Iesu ab Anna ad Caipham sacerdotem et statio eius coram eo.

Benedico et gratias ago tibi, Domine Iesu Christe, summe sacerdos et pontifex aeterne, pro tua despectiva eductione ab Annae domo usque ad Caipham, principem sacerdotum, ubi scribae et seniores ad confingenda maligna contra te consilia convenerant. Heu quam infelici gaudio sunt repleti, cum te vinctum ad se trahi conspicerent, quem diu antea corpore capere desiderantes tenere non poterant, quia nondum venerat hora tua. Sed haec est hora eorum et potestas tenebrarum a Deo permissive eis concessa, ut impleant odium longo tempore conceptum et inveteratam malitiam aperte iam ad effectum perducant tibi ad gloriam, fidelibus ad salutem, incredulis autem ad poenam aeternam.

Laudo et glorifico te, reverende Iesu, pro verecunda statione tua coram principe sacerdotum et cunctis senioribus populi tuam amabilem faciem proterve aspicientibus, ubi a falsissimis testibus graviter accusatus es, a summo pontifice multis sermonibus interrogatus atque districte adiuratus pro responsione veri-

tatis, de blasphemiae crimine calumniatus ac tandem ab omnibus mortis iudicio altis vocibus fuisti condemnatus.

Laudo et honorifico te, nobilissime Iesu, pro singulis iniuriis et mendaciis tibi impositis, pro humili reverentia tua diuque servata taciturnitate inter tanta accusatorum praviloquia, quibus nullum querelae vel murmuris ostendisti signum, sed summae lenitatis exemplum.

Intuere nunc seriosa consideratione, devote amator Christi, quanta in Iesu relucet excellentia humilis sufferentiae. En quam indigna cogitur audire vituperia, quem laudant agmina caelestia. Nam pro vera responsione sibi irrogatur blasphemiae culpa. Sed omnes profecto, qui hoc loquuntur de Christo, blasphematores fiunt et nimis enorme crimen incurrunt. Verum, quia Iesum Dei filium non credunt, omnem nequitiae artem vesana mente in eum perpetrant. Ille autem sustinet et tacet magisque vincit et triumphat, dum se ab impiis patitur conculcari.

Quamobrem tu, anima fidelis, de opprobriis tibi obiectis desine conqueri et noli adversariis tuis talionem optare vindictae. Sustine et deprime te sub onere tribulationum temporalium nec velis in hoc saeculo prosperari Christo eligente

contemptum. Erubesce, superbe, de honoribus, de altis sedibus, de pompis et ornatis vestibus Christo usque ad extrema paupere facto. Scandalosum est tibi humanos quaerere favores et terrenas affectare iucunditates Christo omnimode contraria praeferente.

O reverendissime Iesu, decore nimis et mansuete, tribue mihi infelici peccatori optatam tuae propitiationis gratiam et doce me vividis exemplis tuis pravorum contumelias et terrores non pavescere atque pro accusationibus non recte prolatis minime turbari, sed et libenter pro perpetratis veniam postulare tibique ac superioribus meis tota humilitate substerni, quatenus tuae pietatis dona merear abundantius recipere et de receptis gratias tibi devotiores referre.

[CAPITVLVM X.]

Contumeliae, illusiones et percussiones capitis Domini Iesu.

Benedico et gratias ago tibi, Domine Iesu Christe, honorificentia et gloria sanctorum, pro gravissimo contemptu tuo et irreverendissimo tractatu, quando post datam mortis sententiam a crudelissimis servis tam indecenter multis contumeliosis verbis affectus es et illusus

nec non crebris ac duris tunsionibus in facie et in capite percussus. Heu pulcherrima facies tua, in quam videre delectantur angeli, foetidissimis Iudaeorum sputis turpiter est deformata atque palmis extensis valenter ictibus caesa. Nec dubium, quin recens cruor narium cum oculorum threnis sit subsecutus abunde. Collum tuum nitidum pugnis creberrimis a colaphizantibus acriter est contritum. Oculi tui limpidissimi, qui super iustos semper manent aperti, more fatuorum in derisum sunt velati. Reverendum caput tuum omnibus creaturis praelatum ab inquinatis peccatorum manibus fortiter percutitur, atque cum ludibrioso clamore tibi insultatur et dicitur: Prophetiza nobis, Christe, quis est, qui te percussit.

Quis has multiplices tuas iniurias, Domine, sine grandi gemitu et dolore cordis potest audire? Excedit quippe magnitudo tolerantiae tuae humanum patiendi modum, et compungit vehementer amativa corda piorum gravitas tantorum opprobriorum. Factus es alienus amicis, derelictus a notis, subsannatio et illusio his, qui oderunt te gratis et annuunt oculis. Heu Domine Deus, laetitia curiae caelestis, quomodo sic te pateris tamquam stultissimum hominum ab impiis

illudi, conspui et percuti? Ah furentes Iudaei, totam noctem illam ludibriis et verberibus in te expenderunt et poenis se tuis satiantes paene incognoscibilem faciem tuam cunctis reddiderunt. Permansit autem in te mansuetudo infatigabilis et decor animae incomparabilis, quam cernere nequibant tortores impii. Verumtamen electis omnibus effectus es multo pulchrior et carior secundum internum mentis aspectum, quo ab eisdem cerneris, summe Deus, haec omnia pro amore innocentissime passus.

Rogo te, o patientissime Iesu, quatenus huius maximi contemptus tui nimietate acute pensata doceas me propriam attendere vilitatem et quam iuste merui peccatis exigentibus ab hominibus despici et reprobari. Miserere imperfectioni meae et conforta cor meum ad toleranda austera hominum verba, vel quando in faciem mihi ingeritur verecundia pro excessibus. Tu enim multa contumeliosa verba pro me despicabili peccatore mitissime pertulisti, quia summe humilis fuisti, insuper et vincula et verbera sine querela. O quam dissimilis sum tibi, quam longe disto ab humilitate vera, qui propter modicam iniuriam vel inconsideratum verbum in hominis displicentiam cado. Et cum propter utilem mihi ar-

gutionem maximas gratias agere deberem, e contrario sine fructu impatienter contristor.

Quaeso, Domine, indulge mihi haec commissa mea et quod frequenter te offendi levitatibus meis nec cor meum in puritate conscientiae custodivi neque, prout dignum est, tibi et omni rationali creaturae me ipsum debita reverentia subieci. Da mihi salubrem tristitiam cum fonte lacrimarum. Da amorem disciplinae in memoriam alaparum tuarum. Da fortem patientiae palmam inter rigidas accusationes servare et contemptu me dignum verissime iudicare.

Sit dura capitis tui percussio omnium dolorum meorum corporalium mitigatio, et derisiva oculorum tuorum velatio curiositatem oculorum meorum coerceat, foeda formosi vultus tui consputatio omnem carnalem affectum in me reprimat doceatque non attendere, quod nitet exterius, sed potius venerari, quae intus latent, animae virtutes. Ludificationes tibi factae omnem levitatem morum iocositatemque vanam a me repellant, et extrema dignitatis tuae vilificatio omnem honoris concupiscentiam in me extinguat et ad abiecta et humilia semper inclinet. Amen.

[CAPITVLVM XI.]

Praesentatio et statio Domini Iesu coram Pilato.

Benedico et gratias ago tibi, Domine Iesu Christe, iustissime iudex vivorum ac mortuorum, pro confusiva illa praesentatione tua coram Pilato praeside. Siquidem mane facto hora primarum convenientes simul in unum omnes principes sacerdotum et inito pessimo consilio, ut te morti traderent, per manus lictorum suorum vinculis innodatum homini incircumciso ac gentili praesidi te obtulerunt gravissimis accusationibus innocentiam tuam inculpantes, malefactorem ac gentis suae subversorem audentes dicere, quem prophetae sancti olim magnis laudum praeconiis mundi salvatorem cecinerunt.

O horrenda Iudaeorum impietas, innocentem falsis criminari testibus, auctorem vitae velle occidere, Christum regem petere crucifigi, sanctum et iustum morte turpissima optare damnari. Confundantur et revereantur omnes, qui te persequuntur, quoniam digni sunt deteriora pati supplicia.

Laudo et glorifico te, venerande Iesu, pro magna morum tuorum probitate ac

reverenda statione ante tribunal iudicis Pilati monstrata, ubi tu sicut agnus mansuetissimus in praesentia accusatorum tuorum vinculis alligatus stetisti inclinato capite, defixis in terram oculis, placido vultu, paucis verbis, voce submissa, paratus ad opprobria et ad verbera promptus.

Vide nunc et considera, religiose Christi discipule, qualiter Dominus et salvator tuus, rex et iudex omnium, patitur se trahi ad iudicandum subiciens se humiliter et sponte potestati saecularium, in quo saluberrimae subiectionis tibi praeformavit exemplum, ut discas et tu, qui in multis vere culpabilis es delictis, temet ipsum accusare in capitulis necnon patienter ferre, cum fueris ab aliis proclamatus. Subde te humiliter iudicio praelatorum nec audeas resistere potestati a Deo constitutae, si poenas optas evadere inferni, sed pro amore Iesu iniuste iudicati fer patienter, etiamsi quid grave contra te fuerit dictatum. Non transeat inaniter a corde tuo mira Dei patientia inter tam multa falsa crimina sibi obiecta. Igitur ad sancta Iesu vincti vestigia procide veniam precando et gratiam, ut tibi indulgeat neglegentias universas et potius in hoc tempore misericordiae excessus tuos corrigat, quam in

posterum reservando cum reprobis te damnet in perpetuum.

Miserere, Iesu bone, miserere mei peccatoris, quoniam in te confidit anima mea. Inspira spiritum bonum, qui me ad ferventiorem profectum inflammet, ut studeam me ex toto cordis affectu humiliare, inclinare et subicere praelatis meis ac omnia portare, quae mihi fuerint imperata. Da non vereri humana iudicia nec indignanter accusationes recipere, sed optare exercitari, argui et disciplinari, ut tumor elationis funditus conculcetur, et propria voluntas ad nihilum redigatur, sicque amor tui ex contemptu mei per singula momenta potentius excrescat et in sublimius rapiatur.

[CAPITVLVM XII.]

Quomodo Dominus Iesus fuit ab Herode despectus.

Benedico et gratias ago tibi, Domine Iesu Christe, aeterna patris sapientia, veritas summa virtusque Dei infinita, pro ignominiosa illa despectione et amaro derisu, quo ab Herode et exercitu eius fuisti despectus et derisus. Ipse quippe Herodes ex multo tempore desiderabat te videre et curiositate ductus aliquod signum sperabat fieri. Sed cum respon-

sum illi ad vocem inquisitionis non dares nec signum, quod pro tunc utile non erat, ostenderes, quia hora patiendi erat, non signa operandi, mox commotus a reverentia tua avertitur et pro insipiente reputans elata mente te sprevit ac alba indutum veste illusit et Pilato remisit.

Laudo et honorifico te, inclite Iesu, pro magnis fatigationibus et importunis tractibus tuis, cum per vicos et plateas Ierusalem de loco ad locum, de iudice ad iudicem cum derisivo clamore fuisti ductus et reductus, ubique graviter accusatus, ubique diffamatus et post multas interrogationes et longa examina ad crucis patibulum postulatus.

O quam singularis in hac vice patientia in te refulsit, quae tantis illusionum stimulis non cessit. Haec namque recordatio publicae despectionis tuae duram mentem valde compungit, iratam mitescere facit et devotam provocat ad lamentum. Ecce tu, Deus altissimus, humiliaris ut novissimus, tu omnium potentissimus reprobaris ut miserrimus, tu omnium sapientissimus derideris ut stultissimus, tu omnium innocentissimus iudicaris ut sceleratissimus.

Vae mihi infelici peccatori gravi malorum onere presso: qui ex merito propriae actionis dignus sum aeternis deputari

suppliciis, pro quo tu, pie sancte et iuste Deus, non es dedignatus derideri et contemni, ut ab illusione daemonum et perpetua morte me miserum liberares.

Obsecro te igitur, virtuosissime Iesu, quem nulla aspera exacerbare potuerunt nec abiecta, ut amputes a me omne vanum et curiosum extrinsecum, et discam vilis aestimationis habitu contentari, quia turpe est, ut terra et cinis in vestitu quaerat decorem aut mollitiem, ubi tu, rex caeli, in alba veste fuisti despectus. Antepone oculis meis opprobrium tuum et derisum et doce me per viam despectionis te sequi ac de proprio gaudere contemptu, non confidere in filiis hominum nec in mundi principibus neque in potentia amicorum, sed toto corde cuncta terrena cum suis amatoribus despicere, te autem, Dominum Iesum, salutis meae auctorem, inviolabili constantia sectari et, quantas contumelias pro me indigno sustulisti, iugi memoria retinere.

[CAPITVLVM XIII.]

De furibundo Iudaeorum clamore: Crucifige, tolle eum.

Benedico et gratias ago tibi, Domine Iesu Christe, perpetua laetitia sanctorum, pro grandi et insolenti tumultu

frementium Iudaeorum adversus te furibunde clamantium: Tolle, tolle; crucifige eum. Heu quanta saevitia infelicium Iudaeorum, quam inhumana crudelitas pontificum et Pharisaeorum, qui nullo timore ab occisione tua deterrentur, nulla ratione ab innocenti sanguine compescuntur. Flectitur gentilis iudex ad aliquam pietatem, sed indurantur Iudaei ad acriorem malignitatem. Nititur Pilatus te excusare, quaerit modum dimittendi, allegat, quia nullam in te causam mortis inveniat, sed obnituntur immemores omnium bonorum Iudaei reclamantes: Si hunc dimittis, non es amicus Caesaris. Omnis enim, qui se regem facit, contradicit Caesari.

Heu quam falsissime haec contra tuam humilitatem mentiuntur, qui nec verbo nec facto temporales honores quaesisti, immo facto signo mirifico, cum te regem facere populus de paucis cibariis satiatus decrevisset, mox ad montis secretum effugisti solus ibidem in orationibus latitando.

Sed nec ista mala sufficiunt, addunt deteriora prioribus, quibus iudicis animum incitent ad exequendum deicidium. Nos legem, inquiunt, habemus, et secundum legem debet mori, quia filium Dei se fecit. Haec audit praeses, terretur, interrogat, unde sis, quaerit: Quid est

veritas? sed non accipit responsum, quia Iudaei nimis importune flagitant mortis iudicium. Tandem postulationi iniquissimae assentit iniquus nimiis eorum improbitatibus ac principum favoribus deflexus.

O quam amarum fuit et scandalosum per totam Ierusalem de benedicto Iesu maledictionis divulgari verbum: Crucifige, crucifige illum. Quis amantium non condoluisset et flevisset, si forte contra amantissimum Dominum suum Iesum execrabiles crucis clamores geminari audisset! O quam lugubris vox, quam maestissimus rumor tunc piissimae matris virginis aures implevit, dum crudelis sententia populi ac tumultuosa crucis petitio ore cunctorum in altum ferebatur!

Ingemisce, devote Iesu servule, et de imo pectoris tui arcano compunctionis trahe spiritum. Disce, quo dolore cor Dei genetricis concutitur, cum ad vile crucis suspendium benedictus filius eius petebatur. Ipse, qui angelicas in caelo voces semper audit resonare: Sanctus, sanctus, sanctus, nunc maledictas Iudaeorum linguas intonare audit haec sibi acclamantes: Tolle, tolle, crucifige. Quem paulo ante in festo palmarum pueri laetis vocibus canendo laudaverunt, nunc mutato ordine horum parentes vesana mente

ad crucifigendum petunt et dicunt: Non hunc, sed Barabbam.

Speculare seriose hanc horam, dominicae passionis amator, et contra pessimos rumores saeculi aures cordis tui firmiter claude atque ad miserabilem clamorem crucifixionis Iesu auditum resera. Dico tibi, anima fidelis, sanius hic intendis, quam astris caeli scrutandis. Si vere Iesum diligis, sine amaro gemitu hunc locum non permeabis.

Cum igitur mundus tibi adversatur et multa super te improperia iactaverit, ne frangaris verbis sinistris nec minis adversantium, sed memento patientissimi Iesu ac maledicorum verborum, quae pro te sustinuit, et surda aure frivolos sine abire rumores. Cum etiam tua bene gesta in malum trahuntur, et plures dispositioni tuae se opponunt nolentes verbum tuum admittere, fer mansuete haec omnia, quia non es innocentior Christo, cui insultatum est: Crucifige, crucifige eum. Praescito igitur, quoniam in via Dei multos patieris contradictores nec eris antea Deo commendatus, nisi in variis passibus fueris pro ipso exercitatus. Ipse quippe dixit suis dilectis amicis: Beati eritis, cum vos oderint homines et exprobraverint propter filium hominis. Sequere ergo innocentem

Iesum ab hominibus quidem malis in terra reprobatum, a Deo autem patre electum ac gloria et honore coronatum in caelo. Non te superent transitoriae maledictiones, cui aeternae gloriae pondus est a Deo paratum.

Nunc itaque supplico immensae caritati tuae, amicabilis Iesu Christe, ut ad magnae compassionis gratiam cor meum accendas et tanto amoris tui igne fervere facias, ut quaeque maledicta ac criminum obiecta pacifica mente tolerare gaudeam nec hominum terrores vexationesque pertimescam, sed te imitari per crucis opprobrium totis viribus concupiscam. Accinge me contra carnis incentiva et da castigatione digna motus crucifigere noxios lacrimisque abluere culpas iam ante contractas nullique vitioso incursui adhibere ex deliberatione consensum. In omni denique colluctatione spirituali et cordis pressura mihi succurre et defende me ab inimici fraude vivificae crucis signo, quod licet tibi praeparatum fuit in contumeliam, mihi fiat remedium, ut et ego gratam tibi hostiam laudis per sanctae crucis victoriam devote reportem.

[CAPITVLVM XIIII.]

Denudatio, alligatio ad columnam et flagellatio Domini Iesu.

Benedico et gratias ago tibi, Domine Iesu Christe, benignissime protector omnium in te sperantium, pro tua erubescenda denudatione ante conspectum derisorum tuorum, quando ad crudele impii praesidis mandatum iussus es a militibus praetorii vestibus expoliari et ad crucem penitus nudari, duris restibus ligari ac virgis acutissimis fortiter caedi ac flagellari tamquam malitiosus seductor et pessimus legis transgressor ad complacandum scilicet iracundos animos sacerdotum quaerentium animam tuam deglutire et ad inferos cum maerore deducere.

Laudo et honorifico te supplici cum laude praecipue pro tua strictissima alligatione ad columnam durissimam, ut nos a peccatorum nostrorum vinculis absolveres et perpetuae libertati restitueres.

Laudo et glorifico te perenni gratiarum actione pro tua atrocissima flagellatione, pro singulis duris verberibus acutissimisque puncturis tui sanctissimi ac tenerrimi corporis, dum truculenti illi flagellatores tuam virgineam carnem im-

misericorditer percusserunt, profunde dilaceraverunt, plagam plagae adicientes, livorem livori undique infligentes, ut nil insauciatum in te remaneret, sed innumeri fontes pretiosi sanguinis tui tamquam rubicundi rivuli fluminis abunde ex singulis percussionibus distillarent, ut nos ab inveteratis peccatorum nostrorum inquinamentis ablueres et animas nostras ab omni reatu pretioso sanguine tuo mundares.

Heu heu Domine Deus, quantus furor iniquissimorum Iudaeorum, quam lapidea corda percutientium virorum, qui te pulcherrimum omnium hominum sine causa flagellare non timuerunt, sed velut gigantes contra te steterunt et in nullo tibi pepercerunt.

O sancte puer, electe puer Domini mei, quid tanta amaritudine dignum commiseras? Prorsus nihil. Quid ergo? Ego homo perditus totius contritionis et totius confusionis tuae tibi causa extiti. Vae tibi, magnitudo peccatorum meorum, pro quibus abolendis necesse fuit Dei filium tam acerba luere tormenta.

Esto igitur memor dominicae flagellationis, anima devota Christi rubro sanguine redempta, et cum compassionis affectu sedulae gratitudinis illi repende obsequium.

Eia tu, religiose Dei famule, qui sub stricto monachorum vivis ordine, hic considerationis tuae oculum frequenter dirige. Nam si quid durum, si quid carni contrarium occurrerit, perferendum; ex meditatione flagellati Iesu fiet utique leve et bene portabile. Quando igitur pro culpis tuis corripiendus es aut etiam pro excessibus disciplinam recepturus, mox innocentissimum Iesum pro te vestibus exutum ac acriter flagellatum ad mentem revoca et ad spontaneam disciplinam in dominicae passionis memoriam ac omnium peccatorum tuorum expiationem te praepara. Flecte humiliter genua, scapulare depone, vestem exue, cervicem inclina ac totum corpus tuum regulari disciplinae subice et inter correctionis verbera devote rumina: Quoniam ego in flagella paratus sum, et dolor meus in conspectu meo semper. Amplius lava me, Domine, ab iniquitate mea et a peccato meo munda me. Tibi soli peccavi et malum coram te feci, ideo iuste merui disciplinam recipere. Melius est enim, ut nunc temporalibus poenis sponte subiciaris, quam aeternis postmodum cruciatibus deputeris. Nam qui modo cum Iesu flagellari refugiunt, in futuro tamquam indigni filii a regno Christi excludentur.

O superdulcissime Iesu, qui pro me vilissimo peccatore acerrime flagellatus fuisti, da mihi singula plagarum tuarum loca afflictivo corde aspicere et ardenti ea dilectione devotissime ab intus perosculari, unde mihi odorem vitae medicamentumque salutis aeternae sentio emanare. Accende me ardore immensae dilectionis tuae, qua me probatus es amavisse, cum tot flagellorum verbera dignatus es pro damnato servo tuo patientissime tolerare. Confer adiutorium gratiae tuae infirmitati meae, superveniente tribulationis onere, ne violenta molestia pressus deiciar aut inordinate commovear, sed memor flagellationis tuae iniustae ad omnia gravamina mitissimus inveniar. Fac me tui in tolerando participem et filiorum flagellis excita ad emendam, quatenus humiliter castigatus gratior tibi in praesenti efficiar tempore ac gloriosior tecum exultem in futuro, ubi cuncti gaudent sancti de perenni patientiae palma omni malorum formidine sublata.

[CAPITVLVM XV.]

De expoliatione, illusione, coronatione et percussione capitis Domini Iesu.

Benedico et gratias ago tibi, Domine Iesu Christe, rex inclite sanctorum et fulgens aeternae gloriae corona, pro multis inauditis ludibriis et vexationibus, quibus denuo coepisti ab impiis tortoribus exerceri, dum a militibus indignis in praetorium iudicis es introductus, ubi congregata universa cohorte propriis vestimentis turpiter expoliatus es et chlamyde coccinea derisive iterum indutus, ut nos omni virtute vacuos pallio tuae sanctitatis indueres ac morum suavitate decorares.

Laudo et glorifico te speciali devotione compassivi cordis mei pro tua gravissima poena, quam in sacri capitis tui spinosa coronatione pro nobis abiectis vermiculis patientissime pertulisti. Tunc enim benedictum caput tuum super omnes Nazareos sanctificatum tanta spinarum densitate fuit constipatum et usque ad cerebri teneritudinem asperrime perforatum, ut largi sanguinis rivi per collum et aures, per oculos et genas undique fluerent atque dulcem faciem tuam vix adhuc de Iudaicis sputis siccatam totam

sanguinolentam redderent atque deformem.

O nimis lamentabile spectaculum, cernere Dei filium tam ignominiose et atrociter coronatum, in quo nullum potuit deprehendi peccatum.

Heu crudelissima militum rabies, qui tam sanctum, tam pulchrum, tam nobile ac reverendum caput non exhorruerunt tot aculeis spinarum configere, quin etiam ausi sunt ipsum regem angelorum salutando irridere, percutere et in palam omnibus ostentare.

O mitissime Iesu, rex summe amabilis, corona confitentium, fortitudo pugnantium, beatitudo regnantium, forma omnium te sequentium, quam viliter pro me tractaris, quam ferociter torqueris, quam multis confusionibus foris repleris et quam indicibilibus poenis intus perfunderis, ut ab aeterna confusione in infernorum cruciatu me eriperes, ut a vitiorum sentibus cor meum expurgares et immarcescibili gloria et honore in caelestibus coronares.

Laudo et honorifico te pro illa derisoria salutatione et falsa adoratione tibi exhibita, quando ministri crudelitatis flexis ante te genibus duras alapas tibi dederunt, aspernanter adoraverunt atque ironice regem appellantes irreverenti ore

clamaverunt dicentes: Ave, rex Iudaeorum.

Ah respice, homo mortalis, peccati servus, quantis pro te angoribus et despectibus subicitur aeterni patris unigenitus. Aperi mentis auditum et ad durum Pilati clamorem pium resolve gemitum ac fletum. Ecce, inquit, homo. Si qua ergo viscera sunt in te pietatis, totus ingemisce et collacrimare auctori universitatis.

Laudo et beatifico te, honorande Iesu, pro despicabili illa subsannatione, dum fragilis arundo tibi in dextera dabatur pro sceptro regali ad deterioris confusionis incrementum, quasi temerarius fuisses usurpator regiae dignitatis.

Laudo et exalto te pro durissimis percussionibus sauciati capitis tui, cum immisericordes viri et tortores saevissimi levato altius baculo arundineo sanctum verticem tuum crebris ictibus fortiter pupugerunt ac foetentem oris sui salivam super te iam altera vice expuendo venenatis linguis proiecerunt.

Egredimini nunc, filiae Ierusalem, et videte regem Salomonem cum corona, qua coronavit eum mater sua, synagoga Iudaeorum, in die passionis suae. Intuemini, quantus est iste, qui egreditur. Cum quanta afflictione et contumelia

foras ad imperium Pilati educitur, ut miserabilis eius apparentia cunctis propaletur. Revera haec videre miseria est, cogitare ingens dolor; compati devotus exigit amor. Ecce procedit patientissimus ac mitissimus Iesus de praetorio iudicis portans in capite suo spineam coronam ac purpureum vestimentum, si forte furor perfidi populi aliquantulum commoveatur ad compassionis affectum videndo tam enormiter ipsum dehonestatum et afflictum. Sed heu heu saevit acrius turba maligna; et clamante praeside in publico: Ecce homo, terribilius illi reclamant: Tolle, tolle, crucifige eum.

His omnibus auditis et ad interiora reductis contremisce et expallesce prae nimietate dolorum, fidelissime Iesu amator. Tunde pectus, funde lacrimas et prosterne te ante conspectum coronati Iesu imaginem regis gestantis et nihilo minus servi despectissimi confusione repleti. Qui ut ab appetitu mundanae gloriae retraheret et pestem in te superbiae extingueret, horridis se subdidit poenarum miseriis.

Pudeat ergo mundanam sectari gloriam, homo limosae condicionis, cum nobilissimum Domini caput tam inglorium videas exhiberi. Pudeat sub spinato capite

membrum fieri delicatum, et summa maiestate ad dura et abiecta se inclinante tu noli laxioris vitae itinera quaerere, sed potius austerioris arripere disciplinae fervorem. Confundamini, omnes filii superbiae, qui ad altiora anhelatis et caput in sublime tollitis, ut videamini ceteris digniores, cum sitis eo magis deteriores. Erubescite nitidi incedere in praesentia flagellati atque coronati Iesu, qui vos gemmis et sericis adornatis, qui morituraे carni vestrae aurum et argentum circumponitis, qui mitras pulchras in capitibus ad ostentationem defertis et ad opus redemptionis vestrae, quam diris poenis redempti estis, non respicitis.

Consolare, consolare, paupercule et ulcerose Lazare, et quicumque in hoc mundo despicabilis haberis, quoniam maiorem similitudinem Iesu Nazareni in infirmitatibus tuis et defectibus gestas, quam dives in pravis itineribus suis bysso et purpura coopertus. Et tu, monache cucullate, ne verecunderis grosso et reconsuto amictu contegi, quia gloria tibi specialis est coram Deo et angelis eius, si incultus habitu et moribus sanctis cultior apparueris. Grandis confusio viro monastico, si subtilioris panni quaerat indumentum, qui mundo debuerat esse

defunctus et in omni usu rerum paupertatem semper amplecti. O quam veram et suavem consolationem in sua afflictione religiosus desolatus reperit, qui acutissimam Iesu coronationem maestissimo corde saepius ruminare non neglegit. Quotiens ergo anxiatum te sentis, reminiscere omnium spinarum Iesu, quas pertulit, et feres mitius, etiam si fueris ab aliis exasperatus, aut nimio capitis dolore afflictus, seu, quod gravius plerumque est, detractionum spinis variis laceratus. Prorsus felicius est cum afflicto Iesu nunc affligi, cum coronato Iesu spineam quoque ferre coronam multas patiendo hinc inde gravedines, quam pro libitu vivendo gehennales postea luere poenas et, quod omni tormento acerbius est damnatis, a iucundissima facie salutaris Iesu omniumque beatorum dulci consortio aeternaliter proici ac segregari. O quam hilaris et intrepidus ante conspectum aeterni regis in extremo horrendoque iudicio astabit, qui modo confusionis eius opprobrium poenamque corporalis passionis non erubescit sufferre. O quam grata et Deo cara extat illa anima, et quam fructifera sentietur eius meditatio, quae passionibus Iesu intime conteritur, vulneribus cordetenus sauciatur et de eius morte amorosa nece commoritur.

Doleo super te, Iesu bone, patiens et mansuete, graviter flagellate, pro me turpiter illuse acerrimeque coronate, et ut uberius dolere valeam, penetrativae compunctionis exposco gratiam. Vnde humiliter coram te prostratus tuam venerandam adoro maiestatem in humana natura contemptibiliter depressam votivis labiis intime deprecando, ut illam miserabilem vultus tui formam cordi meo perspicaciter imprimas et ardenter infigas; qualem visus es illa hora habuisse, quando velut abominabilis leprosus ab omnibus fuisti proiectus et ad publicum spectaculum spinis coronatus confusibiliter productus. Intret species haec miserrima cordis mei secreta et tam efficaciter compungat et cruciet, ut omne mundanum curiosum ab oculis meis pereat, omne carnale libidinosum penitus intereat, omne amarum ac vile propter te dulcescat et placeat: vincant passiones tuae malas affectiones meas et dolores tui gravissimi cotidianas meas molestias mitigent. Haec sacra tuae coronationis imaginatio seriose ac profunde speculata praebeat mihi magnum inter adversa solacium confirmetque contra lubricae evagationis incursum. Mens namque occupata divinis atque compunctionibus dedita liberatur a cogitationibus

noxiis et protegitur ab irruentibus inimici iaculis.

Exue quoque me, Domine Iesu, ab omni proprietatis macula. Indue me virtutibus veris et concede hilaritatem in despectibus, ut discam clementer ferre, cum auferuntur necessaria, nec indignari, si pro novis antiqua, aut pro melioribus mihi ministrantur hispidiora indumenta. Non murmurem contra deridentes me, non contendam cum increpantibus me, sed in recordatione spineae coronae tuae omnia poenalia et confusibilia mihi supervenientia aequanimiter captem pro mea salute. Compunge demum mei duritiam cordis et una acutissima spina capitis tui medium eius perfige, ut omnis cruor noxius carni commixtus ex illato vulnere effluat, et sacri amoris tui stimulus magnus illic infixus maneat, quatenus a vitiorum sentibus et temptationum tribulis plene purgari et virtutum seminibus merear digne adaptari, sicque terra cordis mei ex prima maledictione infecta sacri sanguinis tui instillatione novam benedictionem recipiat, ut pro spina invidiae oriatur mihi rosa caritatis, pro urtica libidinis lilium castitatis, pro lappa vanitatis viola humilitatis, pro tribulo asperitatis flos mansuetudinis.

[CAPITVLVM XVI.]

De iniusta condemnatione Iesu ad mortem.

Benedico et gratias ago tibi, Domine Iesu Christe, auctor vitae et norma iustitiae, pro tua iniusta ad mortem condemnatione sine demerito commissionis, viro homicida et seditioso vitae indigne reservato. O iudicium nimis perversum et infelix concambium. Cum enim tumultus ingens fieret in populo, nec feritatem Iudaicam iudex sedare aliqua via potuisset, sedit pro tribunali et contra te hanc nefariam dictavit sententiam, ut Barabbas latro dimitteretur vivus, qui erat mortis reus per facinus capitale, et tu ab omni offensa purus cruci tradereris morte turpissima puniendus. Heu quale iudicium est huius mundi, et quam longe tunc iustitia proscribitur, cum impii coeperint habere dominium. Ecce quomodo perit iustus, et non est, qui liberet eum. Pro dolor, verax datur fallacibus, pium flagellat impius. Traditur innocens pro nocente, latro pro Christo eligitur, et Barabbas vinctus pro Iesu Nazareno relaxatur. Agnus mutatur pro lupo, sanctus pro criminoso, optimus pro pessimo, homo perditus evadit pro Deo vero.

Praeponitur nox luci, vitium virtuti, mors vitae, lutum auro, testa margaritae, infamis generoso.

Quis haec audiens non ingemiscat? Quis Iudaeis non succenseat? Quis iudicem non arguat? Licet lavet manus, quamvis excuset se coram hominibus, licet fecerit timore Caesaris, quamvis Iudaeorum importunitate coactus, non est tamen penitus a commisso mundus; sciebat enim, quod per invidiam tradidissent eum. Melius quidem fuisset temporalem perdere principatum honoris, quam innocenter damnare, quem iustum sciebat. Vtilius fuerat totum amittere mundum, quam peccare in Deum et occidere Christum.

O quam terribile iudicium erit impiis et incredulis in extremis, cum apparuerit in gloria maiestatis suae iudex Deus nunc iniuste iudicatus! Tunc gaudebunt omnes fideles pii, qui modo graviter tristantur de iniqua damnatione Domini sui Iesu Christi. Tunc erunt laeti et securi, qui nunc patienter ferunt pressuras mundi, iniuriam damni et contemptum sui.

O pie et dulcis Domine, qui fuisti iniuste iudicatus a Pilato praeside et ad crucis opprobrium condemnatus, tribue mihi in capitulo culparum sententiam

adversum me datam humiliter subire nec praelatum meum insipienter iudicare neque aliquem accusantem iniuriosis verbis impetere, sed exemplo patientiae tuae ad consimilem taciturnitatis tendere virtutem, nec graviter propriam ponderare conculcationem a potentiore, sed tibi omne iudicium committere discutiendum. Non est enim servus maior Domino suo; nam si de te male iudicatum est, qui iudex es omnium, nec adversariorum violentiae restitisti, qui inculpabilis in cunctis fuisti, quanto magis me pati oportebit et monasticae me substernere censurae, qui in multis saepe deliqui. Iuva me, Iesu benigne, subiectionis iugum et correctionis virgam prompte portare et in omni tribulationum eventu tuorum reminisci dolorum.

[CAPITVLVM XVII.]

De baiulatione crucis Iesu et eductione eius ad locum calvariae.

Benedico et gratias ago tibi, Domine Iesu Christe, vitis vera, vitae via, salus nostra, pro tua gravissimae et ignominiosissimae crucis baiulatione publica, quam pro totius humani generis redemptione humiliter subire ac patientissime portare dignatus es, ut ovem perditam

diu quaesitam laborioseque inventam propriis umeris caeli referres ad aulam.

Laudo et honorifico te, inclite signifer Christianae militiae, pro tua maestibunda et confusiva eductione, quando cum ponderoso crucis ligno immite tibi superiecto extra urbem egregiam ignobiliter ductus es, in qua multis antea signis et doctrinis gloriose emicuisti, sed nunc acriori contra te dementia totius populi concitata tamquam socius furum et princeps latronum in medio nequam pessimorum deputaris in altissimo patibulo suspendendus.

Laudo et glorifico te, optime Iesu, pro dura et molestissima illa profectione et inconsueta peregrinatione pro nobis assumpta, pro singulis pedum passibus in terra fixis, pro nimia fessitudine debilitati corporis tui ex praecedentibus poenis, pro gravi descensu et ascensu indirectae viae cum onere crucis, pro festinata agitatione et improba tractatione comitum perversorum, a quibus ulterius ire iussus es et austere impulsus, retrorsum dire stimulatus, antrorsum fortiter attractus, hinc et inde pluriens agitatus. Nam nimium depressus et incurvatus incessisti, dum onus importabile artatus es portare ad calvariae locum. Ah ah numquam talem itinerationem habuisti, tam aspe-

rum passagium numquam ambulasti, tam poenale iugum numquam tulisti.

Laudo et superexalto te pro illa maxima vilipensione a vilissimis personis te educentibus, trahentibus et tibi insultantibus, pro multis probrosis sermonibus super te iactis, pro criminosis derogationibus contra tuam innocentiam in via falsissime recitatis, pro insolenti exultatione adversariorum de tua crudeli morte ac scandalosa suspensione valde laetantium. Inter quae mala undique conglobata ibas sicut agnus mansuetus, qui portatur ad victimam, nostram meditando salutem, Iudaeorum miserando caecitatem atque ductorum tuorum ingemiscendo pro malitiam.

Laudo et benedico te pro cordis affectu, pro uberrimis amicorum tuorum lacrimis propter te compassibiliter effusis, pro devoto misericordium mulierum comitatu super te amarissime plangentium, quae verecunde a tergo demissis vultibus iter tuum paulatim insequebantur. Quarum luctuosum singultum benigna allocutione ad eas conversus prohibuisti ita inquiens: Filiae Ierusalem, nolite flere super me, sed super vos ipsas flete et super filios vestros. Quia si in viridi ligno haec faciunt, in arido quid fiet? O quantus tunc erat luctus omnium carorum tuo-

rum, quanta praecipue lamenta sanctarum mulierum nimio compassionis affectu post te respicientium, nec tamen aliquo aditu appropinquare valentium neque ab interitu mortis liberare.

Sed o quam inaestimabilis dolor materna interna Mariae virginis apprehendit et concussit, cum unicum sibi amantissimum filium in dorso patibulum crucis ferre et ad mortem perduci aspexit! O quam libentissime benedicta genetrix tua, piissima virgo Maria, gravissimum crucis opprobrium pro te sustulisset, ei si licuisset, et quam cito pro te mori elegisset, si hoc tibi placuisse cognovisset. Sed quod corpore ferre non potuit nec licuit, mente perfectissima gestavit. Quae enim ferventius amavit, amplius compatitur, durius affligitur, verius tecum gerit et crucem. Nemini enim amatorum sic ad cor introiit dolor tuus sicut amanti animae unicae matris tuae virginis excellentissimae caritatis. Nec dubitandum, quin ardentissima dilectrix tua Maria Magdalena prae multa amaritudine fletuum iam paene defecta rursum amativo conatu cum virgine matre crucem tuam libens arripuisset eamque baiulare pro te celerrime parata fuisset.

Hinc et tibi dolor internus accrevit variis modis, exceptis his, quae exterius

gravabant videlicet de discipulorum distractione et materno maerore, de gravi scandalo multorum et diffidentia eorum, qui de resurrectione tua desperabant. Nam sola gloriosa exempta virgine ceterorum nutabat fides aut extincta videbatur.

O religiose Christi discipule, festina et tu mysticae crucis baiulator fieri; conare redemptoris tui vestigia sequi, si optas aeterna gaudia adipisci. Non abhorrescas brevem paenitentiae laborem nec velis disciplinae minui rigorem, sed modicum et leve reputa, quidquid ordinis institutio iubet; gratanter imple, quidquid sancta oboedientia expostulat. Si difficile iudicas omni oboedire praecepto, noveris Christum pro te gravioribus parvisse praeceptis ad mortem scilicet despectissimae crucis. Patrum ergo custodi regulam strictam, non desere semitam, quae ducit ad regnum. Molliorem declina partem, quae solet ignavos in taetrum trahere finem. Crucem sanctam revera subisti, cum religionem intrasti; cruci adhuc te artius constrinxisti, cum professionem fecisti. In religione sancte et iuste conversari crucifixum est imitari. Crucem baiulas gaudenter, si in ordine proficis ferventer. Si invite et cum murmure portas, non

gloriam Iesu, sed latronis impii poenam recipies. Si vero benigne et laetanter omnia sustines, vicisti ex magna parte malignum. Ne ergo timeas ordinis strictitudinem nec dierum computes longaevitatem; caritas Christi et dulcedo bonae vitae alleviabunt onus laborum tuorum. Habes enim antecessorem asperioris vitae et ducem exemplaris optimi Iesum, filium Dei, magnum crucis patronum, crucis in se gravitatem bene expertum. Sequere ergo salvatorem per crucem numquam deserendo religionem nec fervidi monachi laxes propositum, et eris salvus in perpetuum. Si namque voluisses saeculi frui deliciis aut propriis uti rebus seu voluntatibus, mansisses utique in saeculo. Nunc vero Christum secutus per religionis ingressum tene fortiter normam, quam promisisti. Ora Iesum, ut te strenue iuvet; nam qui contulit antea bene incipere, dabit et felicius consummare.

O Iesu dilectissime, princeps regum terrae, rector angelorum, inclite vexillifer omnium Christianorum, qui crucem tuam propriis umeris portasti ante faciem subsannantium Iudaeorum pro salute et exemplo servorum tuorum, concede tarditati meae in hac processione te subsequi; nec deseras me ante constitutum

mortis terminum, sed perduc peregrinantem animam meam de corpore peccati ad montem calvariae, montem murrae et turis, ubi tu fuisti pro me crucifixus et mortuus, ut ibidem tecum sub cruce pausem crucis signo praemunitus. Da arripere novi fervoris exordium et te, non tepidorum sectari levitatem, sed semper tuam cruciferam imaginem cordis oculis aspicere et variam curiositatem instabilium devitare. Sis tu dux angusti itineris et comes peregrinationis meae, adiutor in opportunitatibus, consolator in adversitatibus, collaborator in laboribus multis pro nomine tuo assumptis. Iuva me portare pondus diei et aestus, ut conventum sequi valeam in omnibus horis et observantiis sacris. Da quoque in pressuris et anxietatibus meis maximis recordari tuae gravissimae fatigationis sub onere crucis, quia vix modicum est onusculum, quod tolero, si magnitudinem tuae ponderosae crucis attendo.

Igitur libenter ac desideranter feram onus susceptae religionis de tua benigna assistentia semper confidens; quoniam quidem etsi ad tempus modicum gravari me sinis propter augendum humiliationis meritum, subvenis tamen postea congruenti tempore et modo pro tua clementia. Doce me propriam frangere

voluntatem et paucis esse contentum nec spatiandi quaerere libertatem. Manus meae sint in laboribus; cor meditetur de scripturis sanctis; serviant tibi omnia membra mea; omnes sensus stringantur sub disciplina; et inter veros cruciferos parvitatem meam consigna. Longe fac a me saecularium notitiam omnemque dele carnis affectum. Non delecter rebus externis nec vanis immorer fabulis, sed interioribus studeam intendere ac secreto vacare luctui multiplices pariendo gemitus pro variis excessibus et neglegentiis. Abiciam, quidquid retardat a profectu virtutum. Sequar viam speculatorum tuorum, qui cuncta temporalia temperata mente transcendere norunt. Sedule ad mentem revocem crucem tuam pro me amanter baiulatam, ut simili passu ad crucis accendar amorem meque resignem tibi cotidie per meram oboedientiam. Et tam diu iniunctam patienter tollam sarcinam nec proterve resistam, donec locum obtineam desideratae salutis et pacis.

[CAPITVLVM XVIII.]

De nuda crucifixione et de alta et longa suspensione Domini Iesu in cruce.

Benedico et gratias ago tibi, Domine Iesu Christe, plasmator hominis benignissime et reparator vitiatae naturae, pro tua verecunda nudatione ante crucis patibulum, ubi omni circumspectante plebe coram rugientibus paratis ad escam praedonibus publice exutus es et ignominiose detectus. Omnibusque vestibus tuis cum dolore extractis et in praedam datis cum magno ibidem stetisti rubore ac tremore, tenui dumtaxat linteo praecinctus et spineo serto pro diademate coronatus, omnium opprobrium et abiectio derisiva effectus, nil prorsus de rebus mundi servans, sed tamquam exul et pauper peregrinus, immo omnium pauperum pauperrimus, omni re et humano solacio destitutus. Sicut enim Adam ille primus in paradiso positus ante lapsum suum nuda libertate incessit, sic et tu nunc pari modo crucem nudus ascendis paradisum reparaturus amissum, de quo ipse peccando fuit eiectus et longe propulsus. Vt enim perdita ei restitueretur innocentia, ac virtutum indueretur amictu, dignus quo-

que fieret vita aeterna, passus es tua tibi auferri vestimenta, doloribus et confusionibus impleri et tandem amarissima morte multari.

Laudo et honorifico te, ardentissime amator salutis nostrae, pro tua rigidissima extensione super durissimum crucis lignum tibi ad appodiandum immolliter subiectum, pro acutissima perforatione manuum ac pedum tuorum et incussione grossorum clavorum, quorum sonitus potuit a remoto audiri et intuentium dura corda flebiliter commovere. Heu heu tam valenter affixus es cruci, ut ruptis subito venis corporis ex quatuor partibus ebullirent pretiosi sanguinis tui rivi largissimi. Tam rigorose etiam per longum latumque distractus es quasi pellis in modum extensa tympani, ut omnes compages membrorum tuorum dissolverentur, et omnia ossa possent distincte dinumerari. Permisisti itaque manus tuas et pedes ab iniquis transfodi, quatenus grave Adae debitum, qui noxias manus ad lignum extenderat sibi prohibitum, sacris manibus tuis in cruce fixis absolveres et nodum veteris piaculi pio cruore detergeres.

Laudo et glorifico te pro tua alta elevatione in cruce et prolixa suspensione in patibulo, in ligno valde contemptibili

ab omnibus tunc Iudaeis maledicto, nunc vero ab universis Christianis summo honore super omnia ligna silvarum benedicto, in quo ferme tribus horis aut amplius pro nostra pependisti salute magna et mirabilia operando crucis mysteria toti mundo maxime profutura. Nempe exaltatus es a terra, ut pia fidelium pectora ad te sursum traheres, ne in imis delectationibus fluitarent; ut amativa corda devotorum in compassionem tui mollesceres et ardentius per imaginem crucis accenderes, ut aëreas potestates potenter ac palam in temet ipso triumphares, ut pro transgressoribus suppliciter exorares et omnibus vere paenitentibus indulgentiam plenissime conferres, ut quae in caelis sunt, et quae in terris, per mortem tuam amicabiliter pacificares ac integre restaurares.

Aspice nunc sursum, fidelissime Iesu famule, et inter alta cornua crucis Deum ac redemptorem tuum tristi corde ac vultu lugubri speculare pendentem. En dilectus tuus nudus se tibi videndum exhibet; stat fixis pedibus, tuum praestolatur adventum, liberum desiderat accessum. Expandit amantissima bracchia, vulnera ostendit aperta, caput inclinat ad osculum, paratus ad gratiam te recipere et omnia peccata absque mora

dimittere. Accede igitur intrepide ad crucem, crucis affectuose tange imaginem, ardenter amplectere, firmiter tene et devotissime osculare. Illic te prosterne, ibi iace, terrae sanctae adhaere, a cruce non recede, ut saltem de destillante sanguine unam guttulam merearis accipere, aut verba de cruce loquentis audire, seu agonizanti in fine coastare. Quaecumque terra Iesum susceperit morientem, te pariter recipiat, et ubicumque sepultus fuerit Iesus, ibi sit et tuae requietionis locus, ut cum quo tibi unus est spiritus, una sit et corporis sepultura.

Exhibe ei lamentationis officium, ingredere ad cordis tui secretum; inveniat te Crucifixus pium maestumque discipulum, gratum, devotum et internum ac amorose in suis vulneribus tractum, ut totus mundus tibi crucifixus sit, et tu mundo, solus Christus tibi vivere sit, et commori sibi lucrum maximum. Absit tibi gloriari, nisi in cruce Domini tui Iesu Christi. Absit de propriis meritis confidere, quia in cruce Iesu tota salus tua consistit et redemptio, in quo totam spem tuam ponere debes firmissime. Per quem et remissio tibi datur peccatorum, a quo fluunt divitiae meritorum, cum quo sunt praemia iustorum et redditur merces laborum pro meritis singulorum.

Stude itaque exemplo Crucifixi abicere sarcinam terrenorum et ab omni nocumento interioris libertatis cor tuum extrahere, ab imaginibus passionum et curarum elongari et in pura nuditate veritatis conversari, ut nudum Crucifixum simpliciter et nude valeas imitari per contemptum tui et omnium labentium materiarum et potens fias ac idoneus crucis ascensor ignominias et detractiones hominum ferendo propter ignitum amorem passi redemptoris. De tua vilipensione et minoratione disce gaudere, de commissione forefacti alterius contristare magis et ora, ut emendentur omnes in melius. Te dignum aestima contemptu, contrariantibus tibi opta salutem. In hominibus non grandem statue fiduciam, pauci fideles in necessitatibus, et rari amici stabiles. Nec mirum id nec grave tibi sit. Expertus est Christus amicorum abstantiam et inimicorum multitudinem, qui tamen semper benefecit; sed ingratitudinem magnam recepit. Confide in Crucifixo, ductore et gubernatore bono; permane cum ipso in cruce etiam tribulationis tempore et obtinebis gratiam et palmam adversus omnes te deprimentes. Para autem illi locum et gratiae Dei viam aperi cum humilitate et contritione devota, ut de poenis et vulneri-

bus Iesu confortativam dulcedinem capias et gustes, quoniam suave est pro nomine sancto eius contumeliam pati et pro nihilo computari. Elige apud temet ipsum solus habitare, distractionis materiam resecare, solacium in cruce quaerere, sensualitati resistere, cavere offendicula, ad inania non statim erumpere, de non pertinentibus ad te silere, interna bona sollicite conservare. Non enim decet passioni deditum dissolvi per risum; et irreligiosum est incedere sine gravitate morum. Haec omnia in Crucifixi discuntur passione, et beatus, qui in ea exercitium suum cotidianum fundat. Nam ceteris prae consortibus hic salubrius proficiet et de fructibus ligni vitae comedet, unde gaudebit in perpetuum.

Respice, sanctissime Pater, in faciem Christi tui, pro me pendentis in cruce, esto placabilis mihi peccatori multis peccatorum nexibus implexo ob eximia merita unigeniti tui clavis confixi rubroque sanguine respersi. Ipse enim vulneratus est propter iniquitates meas delendas, ipse satisfaciet tibi per omnia, ipse respondebit tibi pro me. Ipsum do obsidem, ipsum eligo advocatum meum, ipsum mediatorem interpono, ipsum defensorem pro mea causa relinquo. Omne

damnum ipse resarciet, omne commissum ad nutum tuum ipse benedictus uteri virginalis fructus sacratus libentissime emendabit. Quem tu, Pater misericordissime, cum mira dulcedine exaudies utique mox pro sua maxima dilectione ac singulari reverentia ad meam perpetuam salutem et ad habendam semper spem atque consolationem in hoc tempore mihi utilem et necessariam etiam post mortem.

O bone ac pie Iesu, Fili Dei electe, qui ex praecepto Patris tui dignatus es substantiam nostrae carnis sine peccati labe assumere et eandem in ara crucis pro mundi offerre salute, miserere mei, servi tui, veniam precantis et gratiam. Remitte mihi omnia peccata mea recentia et antiqua, scienter aut ignoranter contra te commissa, propter bonitatem tuam et infinitum passionis tuae meritum. Excedunt enim merita tua omnium hominum scelera, et multo maior est tuae propitiationis copia, quam omnis iniquitas mea quotienscumque perpetrata. Ad te ergo sub crucis protectione confugio, ubi de abundantiori misericordia confido, et ad te de cordis mei profundo suspiro salutis meae inquirendo remedium. Adoro sanctae crucis tuae signaculum, crucis honoro vexillum, crucis osculor vesti-

gium, crucis imploro suffragium. Exaudi me miserum, recipe tuum fugitivum, sana contritum corde, iustifica peccatorem. Non te relinquam nec a te recedam, donec recipiar ad gratiam.

Obsecro, Domine Iesu crucifixe, denuda cor meum ab omni re saeculari. Trahe me per bracchia sursum in altitudinem crucis, sequar te, quocumque praecesseris. Libenter sum tecum pauper et nudus tamquam exul in mundo et ignotus, tibi vicinus atque propinquus et ab omnibus terrenis suspensus. Confige timore tuo carnes meas, ne libidini consentiam; perfora manus meas, ne otio torpescam; perfige pedes meos, ut stabilis perseverem et fortiter dolores ac labores sustineam. Transeant clavi tui per cordis mei medietatem et salutari vulnere me crucient, ut ex vehementi contritione totus lacrimis fluam et prae amoris affectu a me ipso deficiam. Incute dolorem, auge devotionem, nil sapiat mihi suavius, nil insit cordi firmius, nisi Iesus Christus, et hic crucifixus.

[CAPITVLVM XVIIII.]

De vulneribus Iesu et pretiosi sanguinis eius effusione.

Benedico et gratias ago tibi, Domine Iesu Christe, auctor salutis nostrae, benignissime largitor veniae patientissimeque tolerator pravitatis humanae, pro omnibus doloribus et singulis plagis atque cruentis vulneribus nobilissimo ac tenerrimo corpori tuo acutissime inflictis, ita ut a planta pedis usque ad verticem nullus esset in te locus liber a poenis et percussuris, sed erat aut plaga tumens aut vulnus dolens aut sanguis rubens per totum corpus calide fluens.

Laudo et glorifico te dignissima, qua possum, veneratione cum interna mentis subiectione pro illa largissima pretiosi sanguinis tui effusione ex quinque sacris vulneribus tuis et ex cunctis vulnerum cicatricibus maioribus et minoribus, cruentantibus et stillantibus vivificum liquorem omni balsamo pretiosiorem in efficacissimam peccatorum nostrorum medicinam. Ah Iesu mitissime, in tantum fuisti a crudelibus ministris contortus et perfossus, ut cunctis viribus corporis exhaustis venisque late adapertis nec parva guttula in te reman-

serit sanguinis, sed quidquid sacri liquoris vivens seu moriens intus habuisti reconditum, hoc totum in pios animarum nostrarum exiit usus et in pretium salutis.

O quinque pretiosa vulnera, amoris summi signa praecipua, divinae dulcedinis plena, unde peccator firmam concipit fiduciam, ne rea ipsius desperet conscientia. In his medicina vitae, copia gratiae, plenitudo indulgentiae, latitudo misericordiae, porta promissae gloriae. Quidquid maculae contraho, quidquid corporis sensibus delinquo, hoc clare in his quinque fontibus lavo, expurgo et emendo.

Laudo et honorifico te, Christe, unice et dilecte sponse ecclesiae sanctae, pro inaestimabili caritate tua, qua dignatus es animam meam in sanguine testamenti tui de vinculo primae transgressionis redimere, a peccatis omnibus mundare, virtutum tuarum meritis ditare et adornare, ut tibi digne posset coniungi et uniri essetque modo sancta per gratiam, postmodum vero in regno claritatis tuae beata per gloriam.

Hic animadverte diligenter, o anima fidelis, vide, quam magno et nobili pretio te redemit, qui ad imaginem et similitudinem suam gratuita bonitate te cre-

avit. Non enim corruptibilibus rebus, auro vel argento, redempta es de praevaricationis reatu et de multorum commissione delictorum, quae tua sponte voluntate nequiter adiecisti, sed pretioso sanguine agni immaculati Iesu Christi, qui non solum pro tua emundatione suum sanguinem effudit in cruce, sed eundem tibi etiam ad bibendum relinquere in calice fideli devotione dignatus est in sacramenti communione sumendum, quo cotidiana mundi peccata repurgantur et delentur.

Heu quam gravia merebitur supplicia, qui sanguinem testamenti filii Dei pollutum duxerit et Crucifixi vulneribus gratias debitas non persolverit. Stude ergo regratiari tali amatori, tam largifluo benefactori, saltem brevi oratione seu devota meditatione in aliqua parte diei vel noctis. Multi fideles amoris eius igne succensi sanguinem suum pia aviditate pro eo fuderunt. Plures etiam pro calice sanguinis aquas amarae contritionis suppliciter obtulerunt communicando passionibus eius per duras paenitentiae vias.

Horum exemplo disce et tu carnem tuam crucifigere cum vitiis et concupiscentiis suis, temptationibus viriliter reluctari, voluntariae subiectionis iugum

ad mortem usque portare, sacrificium spiritus contribulati pro martyrio sanguinis in ara cordis redemptori Christo immolare, sedula retractatione crucis beneficia recolere et in profundis vulneribus Iesu tamquam in foraminibus petrae locum quaerere refugii a facie inimici et persequentis.

Subveni mihi, clementissime Iesu, in omni necessitate et labore certaminis. Expande manus tuas super me et dextera tua protege me semper, da devotionem in corde, veritatem in ore, virtutem in operatione. Purga me ab omni vitiorum putredine, medere vulneribus meis tuo pretioso sanguine. Nil maneat in me obscurum, nil inquinatum, nil contagiosum, sed sacer sanguis tuus prodige effusus emundet me ab omni noxa sanctificetque per omnia, ut integer spiritus et anima tibi, creatori meo, in adventu extremi iudicii pura praesentetur, pro qua liberanda tam multas graves pertulisti poenas atque inaestimabilis thesauri pretium erogasti.

[CAPITVLVM XX.]

De pia supplicatione Iesu pro inimicis.

Benedico et gratias ago tibi, Domine Iesu Christe, fons pietatis et dulcedinis, pro tua perfectissima caritate et devotissima supplicatione pro inimicis tuis et crucifigentibus te; etenim expansis in cruce manibus exorasti veniam eis impetrando et eorum transgressiones pie excusando dicens ita: Pater, dimitte illis, non enim sciunt, quid faciunt. O verbum totius dulcoris et gratiae, quod duritiam cuiuslibet peccatoris sufficit emollire et ad paenitentiam convertere. O dulcissime Iesu, quam multus es ad ignoscendum, quam facilis ad placandum, quam benivolus ad miserandum. O quam magna multitudo dulcedinis tuae, Domine, omnibus amantibus te, qui inimicis furentibus tam pium te exhibuisti, siquidem in altissima cruce suspensus non es indignatione super crucifixores tuos concitatus, ut de affligentibus te vindicares, nec orasti, ut terra illos vivos absorberet, aut ignis de caelo veniens in momento impios combureret, sed dulcissimum caritatis verbum tamquam salvificum caeli rorem super crudelissimos hostes effudisti dicens: Pater, dimitte etc.

In hoc apparuit supereminens caritas tua cum indicibili mansuetudine, quae nec vinci potuit nec a precatu supplici cessare. Illi clamaverunt: Crucifige, crucifige, et tu dicis: Pater, dimitte. Illi clavos infixere durissimos, et tu eorum excusas excessus nefandissimos dicens: Non enim sciunt, quid faciunt. O miranda pietas tua, Christe!

Sed heu perversitas populi obstinati, qui ad tam caritativa verba non sunt compuncti. Plus itaque doluisti de illorum caeca nequitia, quam de propria iniuria; magisque te aggravavit tantorum scelerum commissio, quam omnium vulnerum tibi inflictorum cruciatio. Illi egerunt, quidquid nequius potuerunt; tu eis iterum reddidisti, quidquid salubrius exhibere potuisti. Piissimum ergo fuit et optimum pro tam facinorosis supplicare, ut a suis malitiis converterentur et te verum Dei filium in carne venisse agnoscerent. Sicque memoriale Isaiae verbum impletur, quod praenuntiatum de te verissime legitur: Et ipse peccata multorum tulit et pro transgressoribus oravit, ut non perirent.

Quis iam desperet de peccatorum venia, quando illi tantam benignitatem experti sunt, qui veniae largitorem crucifixerunt? Noli desperare, anima mea, licet

multis criminibus rea; quamvis variis passionibus implicata magnisque temptationibus fueris impugnata, habes adhuc spem vitae misera; patent pietatis viscera, et testes sunt crux, clavi, lancea et omnia rubicunda Iesu vulnera. Intra, intra Crucifixi profunda stigmata, osculare plagarum loca, apprehende amativis bracchiis lignum vitae, tene certissimum salutis tuae signum, Iesum in cruce suspensum. Ipsum devota mente adora; ipsi fideliter te committe, ipsi ex toto te resigna. Nam qui tam pius fuit adversariis suis, erit utique et tibi multum propitius dolenti de peccatis tuis.

Verum si vis celerius exaudiri, si gratiam redemptoris optas adipisci et plenam misericordiam consequi, dimitte et tu fratri tuo in te peccanti ex integro corde. Ignosce illi in modicis, ut Deus ignoscat tibi in multis, et ora pro eius salute sicut pro tua; sic agens invenies gratiam erisque filius altissimi imitando Iesum, qui iussit inimicos diligere et pro persequentibus se supplicare. Magnam insuper tibi fiduciam accumulas in exitu vitae, si patiens iniuste didiceris omnes iniurias remittere et piam pro debitoribus precem effuderis. Haec sacra pro inimicis supplicatio apostolos beatificavit in gloria, martyres consecravit, confes-

sores nobilitavit, virgines decoravit omnesque sanctos Christo conformes effecit ac dignos aeterna vita reddidit.

Precor te, clementissime Domine Iesu, qui pro inimicis tuis ex caritatis affectu dignatus es exorare, ut simili caritate fervente pro me etiam Patrem rogare digneris, quatenus mihi plene omnia peccata mea indulgeat et a poenis, quas pro his merui, clementer absolvat. Da bonam et firmam fiduciam de tua pietate concipere nec in desperationem propter magnitudinem peccatorum meorum incidere, sed fideli mente recogitare, quia pro peccatoribus salvandis venisti in hunc mundum atque pro impiis voluisti pati, crucifigi et mori. Proficiat ergo saluti animae meae votiva tua precatio in cruce pro inimicis effusa; et magnam mihi spem veniae per eam concede, ut quod meritis meis assequi nullatenus valeo, hoc tua sanctissima intercessione efficaciter merear obtinere. Da libere et secure sub umbram alarum tuarum confugere atque sanctae crucis invincibili signaculo ab omni timore hostis antiqui me custodi. Expande, quaeso, latissime ramos bracchiorum tuorum super me ad convolandum sub crucem tuam, ut non metuat nec desperet inops et dolens anima mea, quacumque hora fuerit e mundo

vocata, et suscipe me miserum peccatorem nil de propriis actibus, sed de tua miseratione confidentem.

[CAPITVLVM XXI.]

De direptione et divisione vestimentorum Christi.

Benedico et gratias ago tibi, Domine Iesu Christe, omnium rerum conditor, omnium bonorum distributor, pro illa violenta depraedatione ac delusoria distractione vestium tuarum, quando statim post diram crucis affixionem omnibus vestibus fuisti hostiliter despoliatus et usque ad novissimum quadrantem ita exactus et exheredatus, ut nec minimum quidem vestimentum ad propriam nuditatem retineres contegendam neque linteum modicum tibi superesse cerneres, in quo mortuus posses involvi aut honeste sepeliri. Nam si non nudus debeas sepeliri, oportet sindonem ab alienis mercari et tamquam pauperi et egeno ex pietate tibi donari. O nimium edax cupido militum, non militum, sed ignobilium ribaldorum! O invere-cunda rapacitas satellitum reproborum, qui modicam Iesu substantiolam sacrilega cupidine diripere non erubuerunt, sed insatiabilis avaritiae suae praedam

etiam in Crucifixi pauperculis vestibus expleverunt! Nam quaternariam inter se agentes divisionem vestimentorum unicuique militi partem suam assignabant sola tunica inconsutili illaesa remanente. Quam idcirco sorte carpebant, quia dividere eam salva eius textura nequibant. Heu infelicissimi praedatores et inimicissimi exactores, qui pauperis et nudi pendentis Iesu non sunt miserti, ut vel modicum quid illi restituerent vel certe maerenti matri pro solacio memoriali fimbriam vestimenti eius relinquerent. Sed nihil horum fecerunt, quoniam instigante diabolo sine formidine iudicii futuri maximum sacrilegium perpetrarunt.

O mi carissime Iesu, tu nihil contrarietatis ad haec dicis vel agis, sed omnia silens pateris. Certe in hoc damno rerum tuarum, quid agendum mihi sit ablata aliqua re necessaria, evidenter demonstras. Vis enim, ut paratior sim ad perferenda damna temporalia, quam ad repetenda debita ex iure mihi congrua. Ego autem arbitror has vestes non fuisse apparatu subtiles nec aliquo colore depictas, sed planas et simplices pauperibusque terrae magis similes, aut secundum morem Nazareorum et antiquorum prophetarum habitum humiliter formatas, quas nulla utique curiosi sartoris adin-

ventio complicavit, sed potius sacrae virginis manus et acus Spiritus sancti arte instructa contexuit, aut forte de laboris sui pretio ad usum filii sui virgo mater ab incolis terrae eas in pueritia comparavit. O summum caeli opificem, Deum verum et hominem, ad tam extrema deductum! In nativitate sua viles pannos ad induendum vix habuit, nunc moriens vestes omnes amisit. Tunc angustum praesepe tenera membra portavit infantiae, nunc omnibus orbatus bonis non habet in toto mundo, quem condidit, ubi caput suum modice reclinet, nisi in cruce. Sicut enim pauper et egens venit in mundum, sic etiam nudus et exul discedere voluit. Natus stricta cinctus est fascia, moriens configitur clavis et lancea. Compassionem ergo exigit tantae infelicitatis consideratio; imitationem requirit tantae tolerabilitatis exhibitio. Esto itaque amodo patientior, cum aliqua tibi necessaria auferuntur, aut etiam desiderata negantur. Disce modicis uti et vilioribus contentari, et eris liber a murmure, multum tranquillus in mente acceptusque Deo omnipotenti.

O quis mihi det, vel unam particulam de illis sacris Domini mei Iesu vestibus habere, vel pro devotione eas contingere, aut ore osculare, unde saepius maxima

virtus ad sanandum aegros exivit! O quam sanctae illarum vestium sunt reliquiae et in quanta veneratione habendae sunt, ubicumque potuerint inveniri. Vere si milites illi scivissent, cuius dignitatis fuissent, nullatenus eas rapaciter conscidissent nec vili pretio vendidissent, sed summa potius diligentia ac debito honore in capsulis etiam argenteis conservassent, pretiosiores siquidem fuere cunctis regum palliis cunctisque pontificum infulis, et omne desiderabile metallum dignum non erat eis comparari. Sed impios latuit earum sanctitas et reverentia, qui ob avaritiae suae ingluviem saturandam non valuerunt virtutum earum sentire fragrantiam. Pro dolor valdeque deflendum, quod tam nobile clenodium sic viliter fuit discissum atque ludentium sorte direptum. Aestimo, si aliquis praepotens et dives ex iam viventibus Christi fidelibus ibidem affuisset, quod libenter pro redemptione sanctarum illarum reliquiarum summam pecuniae exposuisset aut partem aliquam sibi exinde procurasset sicque nobili dote ditatus ad propria laetabundus redisset.

Et nunc, o suavissime Iesu, patiens tolerator iniuriarum multarum, tribue mihi pia mente tibi ad magnitudinem gloriae laudisque retexere, quae igno-

biles illi militares ad confusionem tibi intorserunt. Benedictum sit sanctum et immaculatum vestimentum, quo virgineum corpus tuum ex Maria virgine natum multis annis fuit honeste cooper-
tum. Benedicta fimbria vestimenti tui, ad cuius tactum omnes male habentes et fideli devotione accedentes leguntur celerrime sanati. Benedicta tunica tua inconsutilis nullis humanis locanda usi-
bus, sed solius Dei digna mancipari sacrae servituti.

Decebat etenim hanc servare illaesam propter suam singularem reverentiam et ad sanctae matris ecclesiae unitatem per
totum orbem terrarum commendandam. Quae licet divisa sit regionibus, linguis et habitaculis, quamvis variis distincta ordinibus ac vitae meritis, sub uno tamen capite et uno summo pastore totum cor-
pus ecclesiae vivit, regitur et nutritur unam servans fidem, unum suscipiens baptisma, unum credens Deum in trinitate perfecta, unum habens sponsum Iesum Christum regnantem in caelis, a
quo non poterit avelli ullis temptationum impulsibus. Quoniam quidem, Domine, tu dedisti sponsae tuae ecclesiae catholicae contra omnes errores scutum inexpugnabile: verbum veritatis, lumen
scientiae caritatisque fervorem ad ob-

ST. ALBERT'S COLLEGE LIBRA

tinendam aeternae vitae immarcescibilem coronam.

O Iesu pauperrime et ditissime rex regum, Domine pauperrime in ablatione vestimentorum et privatione amicorum, ditissime spiritalium munerum plenitudine, da mihi pauperculo tuo de copia virtutum tuarum unam saltem perfecte consequi virtutem, ne nudus coram te inveniar et confusus, sicut ille, qui in domo convivii sine veste nuptiali est repertus atque pro sua deformitate de coetu sanctorum mox expulsus. Scindatur cor meum compunctione salutari in memoriam vestimenti tui quadrifarie dispertiti, ut compungar aut timore gehennae aut spe futurae gloriae aut dolore iniquitatis praeteritae aut amore gratiae iam perceptae. Confer et mihi signum tunicae tuae inconsutilis unitatem servare fraternae caritatis in vinculo pacis omnemque materiam abicere dissensionis, tumultus vitare saeculi, ab evagationibus et locutionibus ineptis abstinere propter internae quietis amorem, optare pauperem et absconditam vitam tecum ducere, nil felicitatis in hoc mundo cupere, nil proprietatis amare, quemadmodum tu nihil terrenum in hoc mundo possedisti, sed modicum qualecumque, quo uti ad indigentiam videbaris, etiam

tibi a raptoribus auferri et dissipari permisisti exemplum patientiae per hoc tribuens omnibus iniuriam patientibus, ne nimium de perditione rerum suarum contristentur.

[CAPITVLVM XXII.]

De opprobriis Iudaeorum et forti perseverantia Iesu in cruce.

Benedico et gratias ago tibi, Domine Iesu Christe, honor et iubilatio civium supernorum, pro universis opprobriis et blasphemationibus a perfidis Iudaeis tibi in cruce turbulenter obiectis. Etenim a maiore usque ad minorem omnes tibi adversabantur et velut rabidi canes ad corrodendam innocentiam tuam concurrebant. Ore quidem latrabant ut canes, dentibus fremebant ut leones et sicut serpentes linguis suis sibilabant. Labiis maledicebant, facie ridebant, manibus plaudebant, pedibus saltabant, corde laetabantur, quia in cruce affixum cernebant, quem sine iniuriarum vexatione mori nolebant. Igitur qui praeteribant, tamquam amentes et ebriosi homines amaritudinis felle et invidiae veneno repleti dementia capita sua exagitabant clamantes: Vah, qui destruit templum Dei et in triduo illud reaedificat.

Principes vero sacerdotum cum senioribus et scribis, qui populum regere videbantur et alios a malitia compescere debebant, ceteris perversius insultabant. Nam ex adverso crucis superbo oculo et erecto collo stabant, proterve in faciem tuam aspicientes. Et ludentes ad alterutrum indignas valde blasphemias evomebant. Alios, inquiunt, salvos fecit, se ipsum non potest salvum facere. Signa namque divinitus gesta et beneficia sanitatum aliis clementer impensa male nitebantur interpretari et offuscare, quibus semper invidisse noscuntur. Suadent proinde descensum de cruce, false se dicunt velle credere, qui recte credentibus probantur saepius contradixisse. Nam et maioribus factis a te miraculis calumnias potius struxerunt, quam fidem dedere. Non ergo intendebant credere nec salutem inquirere, sed verbis malignis irritare. Demum audaci contumacia inflati adversus divinitatem impia verba iactabant et voce despectiva Dei filium te appellantes dicebant: Confidit in Deo, liberet eum, si vult; dixit enim, quia filius Dei sum.

O crudelissimi et durissimi insectatores filii Dei, cur non sufficit vobis tam horrificum perpetrasse flagitium crucifixionis, quin adhuc sceleratius peccatis

blasphemando et deridendo Dei filium? Heu heu quid agitis? Cur tam venenatam linguam contra pium et insontem acuitis? In quo peccavit, aut in quibus aliquando Christus vos laesit? Nonne bene omnia fecit, qui surdos fecit audire et mutos loqui? Nonne multis eximiis signis ac mellifluis doctrinis suis totam patriam vestram illustravit et pro inimicis suis etiam oravit? Quid mali pro his meruit? Quare redditis malum pro bono et odium pro dilectione? Flere vos magis deceret de tanti sceleris piaculo, quam ridere coram Crucifixo. Sed pro dolor, non advertitis neque curatis. Non est certe compassio neque contritio neque beneficiorum recordatio in obstinatis mentibus, sed semper ad deteriora vergit furor diabolicus acriores stimulos parans et insultus. Cum enim amplius nequirent gladiis et fustibus prosequi, coeperunt acrioribus linguarum telis insectari.

Similiter autem et milites totius malitiae executores saeculari honore tumidi ac divinae legis ignari, principum favore et hortatu depravati accedentes propius illudebant ac acetum offerentes dicebant: Si tu es rex Iudaeorum, salvum te fac. O stolidi milites, actibus moribusque degeneres, quis vos docuit sic militare,

ut adversus Deum pugnetis? Non est hoc opus nobilium virorum, pium persequi, pauperem spoliare, spoliatum nudum relinquere, vestimenta discindere, Crucifixo illudere, morituro Deo acetum propinare, quod bibere horret omnis homo. Verumtamen Christo nocere non valetis; vincit enim sapientia malitiam, et patientia Iesu iniuriis non fatigatur.

Id ipsum autem et latro a sinistris positus et in nequitia obstinatus exprobrans dicebat: Si tu es Christus, salvum te fac et nos. Heu miser decidit in contemptum et profundum malorum, et qui veniam de perpetratis postulare debuerat, tibi datori veniae nequiter insultabat. Ideo infelix desperans obiit et pessime periit.

Laudo et glorifico te pro tua insuperabili constantia in cruce assumpta, de qua propter nulla opprobria nec ulla blanda promissa consensisti descendere, ut illam ad breve momentum desereres, quam semel ultroneus ascendisti. Etenim locum tuum, quem pietatis amore assumpsisti, ad permanendum ibi et commoriendum usque in finem firmiter tenuisti atque opus salubriter inchoatum laudabiliori fine consummare voluisti. Qui aliis perseverantiam boni operis

servare docuisti, tu ipse prior oboedientiae professionem in cruce fecisti, quam omnibus te sequentibus constanter servandam proprio firmasti exemplo.

Accede nunc ad arborem Crucifixi, mundi contemptor, sanctae crucis amator ac religionis professor. Sis virilis et constans in sancto proposito; Christi opus est et tuae salutis consummatio in ordine stare, sub oboedientia vivere et in disciplina perseverare. Nemo ergo te revocet a statu religionis, de via perfectionis, a studio devotae conversationis, a voto professionis. Memento apostolici sermonis: Quia Christus factus est pro nobis oboediens usque ad mortem, mortem autem crucis. Quidquid igitur promittit mundus, quidquid caro blanditur, quantumlibet acriter temptat diabolus, quantumve dissuadent amici, aut derident saeculares, non advertas, noli curare, sed despice totum. Sta fixus in Christo, respice sursum, attolle oculos in Crucifixum amplis bracchiis te invitantem et pro brevi labore aeterna praemia pollicentem. Si, inquit, compateris, corregnabis, et si commortuus fueris, et conglorificaberis.

O constantissime et fortissime athleta Iesu Christe, ardentissime amator et consecrator sanctae crucis, da mihi in

assumpta religione perseveranti voluntate tibi famulari nec ullo taedio laboris a fervore piae aemulationis lassari, sed semper ad anteriora me extendere et constanti animo temptationes carnis et spirituales impugnationes refutare, omnem patientiam in adversis exhibere, hominum vituperia non timere nec laudes affectare, a praesentibus oculos mentis avertere, in te unico salutari meo totale refugium quaerere nec pro aliquo caro vel displicito a beatae crucis amplexu retroire, sed sub eiusdem protectione, vexillo atque signaculo vitam meam felici exitu per oboedientiam terminare. Amen.

[CAPITVLVM XXIII.]

De verbo ad latronem in cruce dicto.

Benedico et gratias ago tibi, Domine Iesu Christe, summum ac singulare solamen peccatorum, pro tua immensa pietate et superabundanti misericordia, quam sceleratissimo olim latroni a dextris tuis in cruce pendenti, sed iam sero converso et toto corde paenitenti exhibere dignatus es. Statim namque ut reatum suum agnovit et de peractis malis vere paenituit, omnium peccatorum suorum remissionem et paradisi introitum fida oris tui promissione per-

cepit. Nulla quippe sera et infructuosa est paenitentia, ubi vera est contritio et integra conversio.

O beata et salubris conversio et contritio peccatorum, qua tam cito meretur quis obtinere regnum caelorum. Iste paenitens latro et beatus iam confessor quamvis graviter et multo tempore deliquisset, tamen in fine et in necessitate ultima positus ad cor rediit et perfecte de omnibus commissis dolens veniam humiliter petiit et largam indulgentiam obtinuit. Agnovit namque propriam culpam, qui se iusta animadversione fatetur morti addictum. Habuit iustitiae zelum, qui de pravitate blasphemiae vicinum sibi redarguit consortem. Ostendit compassionis affectum, cum Christum ab omni noxa liberum sine culpa conqueritur crucifixum. Magnam fidem habuit, qui de misericordia Christi non desperavit, sed sui reminisci in regno Dei postulavit. His ergo virtutum donis redundans confidenter ad te, Domine Iesu, tamquam ad pium animarum pastorem verumque sacerdotem et fidelissimum confessorem totius vitae suae seriem clarissime cognoscentem ait: Domine, memento mei, cum veneris in regnum tuum. Cui tu rursus, o benignissime Iesu, dulcissimum atque solaciosissimum verbum respondisti:

Amen dico tibi, hodie mecum eris in paradiso.

O vere dulce et nimis amabile verbum ex ore Dei suaviter procedens, sed in aure contriti peccatoris in agone constituti suavius insonans, et cor anxiatum pavidumque in tali hora validissime confortans. O quam secure iam mori potest, cui tale promissum audire donatum est! Non enim in die mala timebit, quem Dominus Iesus in suam defensionem suscepit. Datum est huic latroni confitenti, quod negatum est Petro deprecanti. Petrus cupiebat in monte contemplationis commorari, sed nequibat impetrare. Volebat etiam ante horam passionis ad omnia sequi, sed dictum est ei: Non potes me modo sequi, sequeris autem postea. Petrus ad apostolatum prior vocatus est, sed latro iste prior eo ad regnum introductus. O quam mirabilia sunt opera tua, Domine, nimis profundae factae sunt cogitationes tuae. O quam inscrutabilia sunt iudicia tua, et quam inenarrabilia verba oris tui. Vir insipiens non cognoscet, et stultus non intelleget haec. O quam felicem horam iste latrocinator invenit, qui tecum pati, tecum mori, tecum pergere ad regnum tuum meruit, de quo non invenio, quid boni prius in vita sua fecerit; sed hoc certum

comperi, quod instante fine omnia forefacta sua humili confessione purgavit. Igitur maximae misericordiae fuit, quod tam facinorosus tam cito veniam adeptus est, quam cito orationem suam ad te supplici affectu effudit. Domine, inquit, memento mei, cum veneris in regnum tuum. Et tu misericors et miserator Domine, mox de cruce exaudisti compunctum corde consolans animam confitentis hac benignissima responsione: Amen dico tibi, hodie mecum eris in paradiso.

O quam consolativum mihi est et salubre huius latronis exitum et tuum dulcissimum responsum intenta consideratione pensare, non ut securius peccem aut emendationem meam longius differam, sed ne subita infirmitate praeventus desperem, cum tam scelestum virum ita repente audiam in melius mutatum ac tua miserante gratia perpetuo esse salvatum paradisoque restitutum. Tribularer siquidem valde propter peccata mea plurima, si nescirem misericordias tuas, Domine, si exempla paenitentium a te benignissime receptorum non audissem. Tu enim dixisti per prophetam: Nolo mortem peccatoris, sed ut magis convertatur et vivat. Et item per temet ipsum: Sic Deus dilexit mundum, ut

unigenitum suum daret, ut omnis, qui credit in ipsum, non pereat, sed habeat vitam aeternam. Et iterum: Non veni vocare iustos, sed peccatores. Tu Mariae Magdalenae flenti ad pedes tuos uberrime omnia peccata dimisisti sine mora. Tu Petrum post trinae negationis lapsum amarissime lacrimantem ad gratiam denuo recepisti. Tu variis languoribus comprehensos ope misericordiae tuae sanasti et gravioribus peccatis involutos largiori pietatis munere liberasti. Sicut evidenter de adultera apparet, quam de accusatorum manibus, ne lapidaretur, eripuisti.

O benignissime Iesu, misericordia mea et refugium meum, susceptor meus et liberator meus de inimicis meis iracundis, esto mihi propitius et ne perdas cum impiis animam meam, pro cuius redemptione crucis patibulum voluisti subire. Memento verbi sancti tui, quod latroni dixisti, in quo et mihi spem solidissimam reliquisti. Dic ergo animae meae, salvator vitae meae, cum appropinquaverit tempus resolutionis meae: Hodie mecum eris in paradiso. Quid laetius audiri potest, quid dulcius moriens percipere valet, quam tali laetificari responso: Hodie mecum eris in paradiso? Memento mei, Domine, in regno tuo, nec derelinquas me in tremendo mortis ar-

ticulo, cum defecerit virtus mea, et vox obmutuerit, cum oculi caligare coeperint, et auditus obsurduerit. Tunc succurre mihi, Iesu bone, et praemitte sanctos angelos tuos ad consolandum me in agone, ut non praevaleat adversum me hostis malignus insidians horae ultimae, qui etiam ausus est aliquid in te quaerere, quod suum foret, sed nihil inveniens totus a te confusus abscessit. Sic confundantur, qui quaerunt animam meam rapere; avertantur retrorsum et erubescant valde velociter. Anima autem mea laetetur in te et exultet super salutare tuum, Domine, ruminans dulce verbum, quod secunda iam vice in cruce protulisti: Amen dico tibi, hodie mecum eris in paradiso. Hoc crebro in ore, crebrius autem versetur in corde, quod eo dulcius sapit, quia dictum a te in cruce fuit. Habent enim gratiorem dulcedinem et efficaciam ampliorem verba ex ore crucifixi Domini mei prolata; idcirco attentius pensanda sunt avidiusque ruminanda. Utinam sic merear vivere, utinam et sic studeam Domino meo servire, ut in hora exitus mei de corpore dignus fiam dulcissimum verbum caelitus audire: Hodie mecum eris in paradiso. O si et illud aeque laetissimum verbum dicas ad servulum tuum: Euge, serve bone

et in modico fidelis, intra in gaudium Domini tui. Tunc enim nihil melius et iucundius esset, quam bene in vita egisse et tibi fideliter usque ad mortem servivisse.

[CAPITVLVM XXIIII.]

De insigni titulo nominis IESV super caput eius posito.

Benedico et gratias ago tibi, Domine Iesu Christe, princeps omnis potestatis et rex universae creaturae, pro insigni titulo sacri et benedicti nominis tui super verticem capitis tui patenter collocato. Qui tribus famosissimis mundi linguis, hebraicis videlicet, graecis et latinis literis a iudice Pilato eleganter est inscriptus, tali forma et his nominibus: IESVS NAZARENVS REX IVDAEORVM.

O vere insignis titulus, non humana sollertia adinventus, sed divina potius ordinatione ab aeterno praevisus et inspiratus. Non ergo aliter potuit nec debuit scribere Pilatus, quam te inspirante erat formatus. Unde et in egregiis prophetarum libris invenitur mysticus huius tituli sensus cum verbis suis expressus. Quod igitur sacra pagina diu ante praedixerat, quod clara

quoque fama de almiflui nominis tui laude disperserat, hoc praeses gentilis instinctu divino in tabula brevi ad perpetuam Crucifixi memoriam literis compingit: Iesus Nazarenus rex Iudaeorum. Hunc ergo titulum cum multi Iudaeorum legissent, invidia exardescente non ferebant pontifices gloriam nominis tui praedicari, quam totis viribus moliebantur offuscare et, quod dementius est, vitam cum nomine extinguere. Ob id itaque iudicem Pilatum de tam insigni titulo redarguunt dicentes: Noli scribere: Rex Iudaeorum, sed, quia ipse dixit: Rex sum Iudaeorum. Timebant enim confundi et crudelitatis sibi flagitium imputari, quod proprium gentis suae regem crucifixissent. Et ne longius hoc ipsum divulgaretur, titulum permutari petebant, ut non ipsorum malitia videretur Iesus crucifixus, sed potius propter praesumptae dominationis culpam, quia regem se dicere ausus sit, qui nihil regiae dignitatis in saeculo gessisset.

O nequissimi Iudaei, non sic est, ut fingitis, sed vos estis in omnibus rei, vos estis principales interfectores filii Dei. Nec excusationem habetis, quamvis callida arte hoc grande facinus obumbrare quaeritis. Nam iustum et innocentem ante faciem Pilati negastis et

virum homicidam vobis donari petistis. Nunc vero ad hoc venistis, ut veritatem tituli corrumpatis et velut inculpabiles appareatis. Sed Pilatus in morte Domini vobis multo innocentior, in scribendo quoque titulum veracior, etiam in respondendo vestrae aemulationi factus est constantior et ait: Quod scripsi, scripsi. Si vultis legere, legatis; sin autem dimittatis, sed me a sententia semel lata non deducetis. Quod scripsi, scripsi. Non vestro consilio hunc titulum edidi, nec vestra derogatione mutabo; sed ita permanebit, ut dictavi. Deus inspiravit, non homo. Ideo ratum esse volo et verum praedico, nec corrumpi ulla sustineo suasione, sed omnibus linguis et populis dignitatem eius annuntio et publicari praecipio: Iesus Nazarenus rex Iudaeorum. O praeses magnanime, optime scripsisti et recte eis respondisti. Laudo te, quia tam pulchrum et sacrum titulum de Iesu Nazareno confecisti et Iudaeos tam audacter refutasti; sed in hoc non laudo, quod in mortem Christi consensisti; nam valde hoc facto deliquisti.

Disce et tu, devote Iesu discipule, verba huius sacri tituli sapienter animadvertere, studiose perlegere reverenterque proferre; valet enim plurimum contra

timorem inimici hunc titulum legere: Iesus Nazarenus rex Iudaeorum. Fac signum sanctae crucis, signa frontem et pectus et lege devote verba tituli huius et senties notabile iuvamen in loco horroris et anxiae necessitatis. Nam virtus Christi et fides in Deo firma non patietur te periclitari salutari nomine Iesu invocato: Iesus Nazarenus rex Iudaeorum. Dulcedinem huius dignissimi tituli nullus sermo plene explicare, nulla mens sufficit digne meditari. Quatuor autem verba sunt et totum mundum in venerationem divini nominis ducunt. Omnes ergo principes mundi, omnes tribus et populi, audite, legite et dicite: Ave, Iesu Nazarene, rex Iudaeorum, qui passus es pro salute omnium populorum.

O Iesu Nazarene, flos candens virginis Mariae, o fili David inclite, summi Patris unigenite, scribe dulce et praeclarum nomen tuum in tabula cordis mei firmiter et formose cum sacro et illustri passionis tuae titulo causam mortis tuae continente, ut hunc diligenter inspiciam et ad laudem reverendi nominis tui frequentius legam. Sit mihi titulus iste cordiale solamen in pressuris et contra temptationum impetus munitio singularis. Recedat a me malignus spiritus, pereat concupiscentiae aestus, et totus mihi

amarescat mundus, cum cogito aut lego: Iesus Nazarenus, rex Iudaeorum. Nil quippe Iesu dulcius, nil salubrius, nil efficacius. Nil Nazareno candidius, nil purius sanctiusque. Nil rege Iudaeorum dignius, nil potentius, nil sublimius. Nullus ergo mihi obsistat inimicus, nulla inficiat pestis, nec ulla me opprimat calamitas, cum te, Iesu, humiliter invoco, aut te passum recolo, aut titulum hunc mente et ore rumino: Iesus Nazarenus, rex Iudaeorum.

O Iesu summe amabilis, tu es rex meus et Deus meus dulcis et superlaudabilis. Dulcis in praesepio, dulcior in cruce, dulcissimus in regni tui solio. Licet enim crucifixus sis ex infirmitate carnis, tamen nunc vivis ex virtute Dei sedens ad dexteram Patris super omnem creaturam exaltatus in saecula. Amen.

[CAPITVLVM XXV.]

De compassione materni doloris et mutua commendatione beatae Mariae et sancti Iohannis.

Benedico et gratias ago tibi, Domine Iesu Christe, omnium maerentium consolator, pro tuo doloroso respectu, quo dilectissimam matrem tuam sub cruce stantem ac nimio maerore con-

fectam misericorditer respexisti. Cuius doloris magnitudinem tu solus melius noveras, qui cordis eius secretissimus inspector eras. Tu namque nil carius matre virgine habuisti in terris, et illa te Deo filio suo nil dilexit amplius, quem profecto ex se genitum omnium rerum Dominum et suum cognovit auctorem. Cernens ergo te in cruce suspensum, quem maxime diligebat, magis in te quam in se manebat et quasi tota extra se educta etiam sursum pendebat spiritu tibi concrucifixa, licet corpore adhuc inferius iuxta crucem lacrimans staret.

Laudo et glorifico te pro tua excessiva compassione, qua tunc tristissimae matri tuae filialiter condoluisti, quae re vera omnes dolores tuos suos reputabat et singula vulnera tua tamquam propria defebat ac totiens novis torsionibus affigebatur, quotiens maternis oculis sanguinem de tuo corpore fluere cernebat, aut quando vocem tuam de cruce ad se loquentem audiebat.

Laudo et honorifico te pro tua benignissima allocutione, qua tandem brevi verbo allocutus es matrem desolatam, quam praedilecto discipulo tuo Iohanni tamquam fidelissimo provisori commendasti et virginem virgini indissolubili caritatis vinculo sociasti dicens: Mulier,

ecce filius tuus, deinde ad discipulum: Ecce mater tua.

O felix coniunctio et grata commendatio, quam virginalis integritas sociavit et consecravit. In hoc etenim verbo ostendisti erga matris honorem piae sollicitudinis affectum, cui solamen pudici discipuli donasti et pro te alterum quodammodo filium supposuisti, qui castis eius moribus congrueret et de necessariis vitae sagaciter provideret. Sic enim tuam filialem providentiam agere decebat, ut mater sancta et virgo illibata fideli ministro non careret, ne velut apud saeculum solitarie derelicta et inter Iudaeos extranea videretur, quae ilico tua dulcissima praesentia erat orbanda.

Placeat nunc tibi, pia Dei genetrix Maria, haec filii tui ordinatio sancta et commendatio bona valde. Suscipe discipulum hunc gratis affectibus, quem destinavit tibi filius tuus Iesus. Hic est Iohannes apostolus, virgo electus et inter ceteros magis dilectus, moribus suavis, affatu benignus, vultu verecundus, gestu modestus, victu sobrius, habitu humilis, obsequio aptus, oboedire paratus. Hic est discipulus amantissimus, genere tibi cognatus, fama clarus, mente purus, corpore virgineus, Deo placidus, omnibus carus, tuo consortio, mater Dei, per om-

nia dignus. Scio quidem id tibi semper placuisse et placere, quod filio placuit, id summe te velle, quod ipse fieri disposuit, qui in cunctis suis actibus non propriam voluntatem, sed paternam gloriam quaesivit. Ideoque non dubito tibi placere, quod eo mox abeunte vicarium pro se Iohannem tibi dereliquit.

Accipe nunc, Iohannes sancte, commendatum tibi thesaurum desiderabilem. Accipe Iesu matrem venerabilem, caeli reginam, dominam mundi, tuam dilectam materteram matrisque tuae sororem, virginem sanctam. Hactenus beata virgo Maria iure carnis matertera tua dicta est, nunc sacratiori ordine et iure divino vocabitur mater tua de speciali gratia tibi commissa. Tu quoque, qui prius proprius vocatus es Zebedaei secundum carnem filius, frater Iacobi maioris et propinquus Domini salvatoris, ac postea Iesu discipulus effectus, iam novo nomine vocaberis Mariae filius adoptivus, filiali utique amore illi de cetero obsecuturus. Age ergo, quod iubet Christus, imple verbum sacrae commendationis, et eris omnibus gratus et toti mundo honorabilis. Fecit beatissimus Iohannes, sicut dixit ei in cruce Iesus. Nam ex illa hora accepit eam discipulus in sua et curam ei adhibuit, sollicite ministravit et sicut

propriae matri devotissime obtemperavit cordialiterque dilexit.

Gaude et laetare, beatissime Iohannes, pro commisso tibi deposito. Carius enim, quod Christus in mundo habuit, apud te fidenter reposuit. Multum te locupletavit, quando Mariam in testamentum tibi legavit, quam angeli sancti nequeunt digne laudare. Christus sancto Petro claves regni caelestis contulit, te vero cubicularium matris suae constituit. Olim sancto Ioseph fuerat Maria desponsata, sed nunc secundarie tibi est commendata. Illi ab angelo dictum est: Ne timeas accipere Mariam coniugem tuam; tibi ab angelorum Domino iam dicitur: Ecce mater tua, ut, sicut ille non defuit virgini in nativitate filii, ita nec tu desis matri in passione Christi neque longo tempore post ascensionem eius in caelum. Quodsi beatissimus Iohannes Baptista adhuc supervixisset, iure propinquitatis et merito castitatis valde idoneus minister et insignis paranymphus mihi apparuisset. Sed quoniam Ioseph non superest — nihil enim de eo percipitur, utrum tunc vixerit, an obierit; Iohannes autem diu tentus in vinculis occisus est; Iesus etiam iam morti proximus, et cito ab oculis auferetur matris — tu supple omnium vices horum carorum

et esto in loco Christi pro pignore subtracti filii. Confido in Domino Iesu, quod fratri tuo Iacobo et ceteris apostolis omnibus peroptime placebit, nec aliquis amicorum tibi invidebit, sed quilibet devotus tibi placide congaudebit.

Hoc magnum praemium meruit tua magna copia virtutum, perfectus scilicet contemptus mundi, amor Iesu, suavitas morum, integritas virginalis, tranquillitas mentis, libertas animae, puritas conscientiae, probitas vitae. Suscipe ergo matrem Christi in tuam custodiam, et magnam exinde consequeris gratiam. Multum quidem et alte apud eam proficies. Nam verbis illius instrueris, exemplis aedificaberis, orationibus iuvaberis, admonitionibus excitaberis, caritate accenderis, devotione traheris, contemplatione elevaberis, gaudio impleberis, deliciis affluens, caelestibus perfrueris. Audies ex ore eius divina mysteria, disces abscondita, percipies mirabilia, intelleges ineffabilia. Ex eius praesentia castior eris, purior permanebis, sanctior fies devotiorque perseverabis. Aspectus eius pudicitia, sermo prudentia, actio iustitia, lectio eius Iesus, meditatio Christus, speculatio Deus. Decor vultus eius ut lux emicat, facies eius reverenda nulli oberit, elegantia eius intuentem castificat, allocutio

eius omne malum exterminat. Talis ac tanta est dignitas Mariae, ut praecellat omnes sanctos puritate et gratia, cuius tu eris secretarius a summo caeli rege sibi donatus. Igitur sedulum illi exhibe ministerium, defer honorem, curam sollicite impende. Sta nunc iuxta crucem, latus observa virginis, sustenta lassam ulnis tuis, amplectere Mariam, erige deficientem, consolare lacrimantem. Plora etiam cum plorante, geme cum gemente, vade cum gradiente, siste cum stante, reside cum sedente. Non recedas a dolente, opus imple misericordiae, deinde para te ad exequias Iesu morituri. Duc matrem tecum ad locum sepulchri, reduc ad civitatem, induc in domum, conforta omnium desolatorum consolatricem. Esto minister angelicus, licet hac vice digniori te solacium offerre. Confortatus est enim in agonia sua ab angelo Christus; etsi non eguit, voluit tamen ab inferiore visitari nec renuit consolantem. Ecce, carissime Iohannes, ad quam votiva obsequia vocaris, qualis virgo tibi committitur, et cuius mater tibi servanda creditur.

Nunc ergo humiliter obsecro te, ora ferventer pro me peccatore, ut et ego fervidus sim in Christi amore nec non devotus inveniar in laude beatae virginis atque in eius dolore compunctus.

[CAPITVLVM XXVI.]

De magnificis virtutibus beatae virginis et de dolore ac lacrimis eius.

Benedico, laudo et glorifico te, sancta Dei genetrix, virgo Maria, pro omnibus bonis et donis a Deo tibi copiose collatis, pro innumeris virtutibus tuis et maximis gratiarum privilegiis, quibus insignissime prae omnibus sanctis claruisti in terris, ut mater Dei fieri digna existeres et verbum Dei ex te incarnatum gremio foveres et beatis bracchiis levares, circumdares atque portares.

Benedico et laudo et honorifico te, electa mater Dei et humilis ancilla Dei, pro omnibus amatoriis servitiis tuis et necessariis subventionibus Christo filio tuo in carne exhibitis, pro variis persecutionibus, penuriis, laboribus et fatigationibus cum eo clementer toleratis.

Benedico et laudo atque dignifico te, inclita Maria, aeterni regis mater et filia, pro tuis dulcibus colloquiis cum dulci Iesu frequenter habitis, pro deificis sermonibus ab eius ore sapienter auditis et casto sub pectore diligenter reconditis suaviterque in corde ruminatis, pro magnificis consolationibus ab eo creberrime perceptis, pro excessivis gaudiis et divi-

nis iubilationibus tuis ex praesentia eius et Spiritus sancti aspirante gratia suboritis, diu desideranterque potitis.

Benedico, laudo et magnifico te, venerabilis domina mea sancta Maria, pro tua purissima et sanctissima vita Deo et angelis gratissima, longo tempore in multa paupertate et silentio cum Iesu transacta, pressuris et adversitatibus variis probata, omnibus Christi fidelibus ad exemplum devotae imitationis derelicta et usque in finem saeculi universali ecclesiae in agone maxime profutura.

Benedico, laudo et clarifico te, benignissima et devotissima mater Dei Maria, pro omnibus devotis exercitiis tuis ac sacris meditationibus in lege Dei die noctuque peractis, pro ferventissimis orationibus tuis lacrimisque et ieiuniis ad Deum magna instantia pro conversione peccatorum et perseverantia iustorum profusis, pro intima compassione tua cum pauperibus et infirmis, cum temptatis et anxie gravatis, pro sitienti desiderio tuo ad humani generis salutem, quod amara filii tui morte noveras redimendum. Et licet indicibili amore unicum diligeres filium, non tamen ab horrido crucis aggressu ipsum retraxisti, sed temet ipsam cum filio divinae ordinationi plenarie submisisti. Attamen in

cunctis poenalitatibus suis vehementer sibi condoluisti et usque ad crucis ignominiam intrepido vestigio prosecuta es Iesum praeeuntem discipulorum non attendens fugam neque Iudaeorum metuens saevitiam, parata potius subire necem cum ipso, quam relinquere in tali gravamine filium.

Benedico, laudo et superexalto te, fidelissima et amantissima mater Dei, caelica Maria, pro tua perseverantia in solida fide et caritate perfecta, quando fugientibus apostolicis viris prae timore, quibusdam etiam sequentibus cum rubore, tu sola inextinguibile fidei lumen in passione filii constantissime tenuisti nil dubii gerens de futura eius resurrectione post triduum, sicut ipsius ore fuit satis clare praedictum. Omnibus namque amicis Iesu dispersis tu, mater maestissima, cum humili feminarum caterva ad locum properasti calvariae inter furentes transiens acies populorum, ut quantocius propinquares filio crucifigendo et adhuc in carne viventem cerneres, a quo, priusquam moreretur, piae commendationis verbum susciperes.

Benedico, laudo et excellenter recommendo te, sancta et immaculata virgo Maria, pro tua dolorosa statione iuxta crucem Iesu, ubi diu fessa et afflicta

stetisti secundum propheticam Simeonis sententiam gladio transfixa doloris, pro multis lacrimis, quas tunc abunde fudisti, pro maxima fidelitate et indeclinabili cohaerentia, quam filio morituro in extrema necessitate demonstrasti, pro gravi contritione cordis tui, quam in eius expiratione acutius sensisti, pro flebili aspectu tuo, cum ipsum mortuum ante te pendere vidisti, pro pio illo amplexu, quo ipsum de cruce inter materna bracchia suscepisti et in sinu tuo eiulans collocasti, pro lugubri transitu tuo ad locum sepulturae, quando post vestigia portantium corpusculum sanctum maerens subsecuta es inspiciens ipsum reponi in monumentum et sub lapide grandi concludi, pro flebili illo regressu a monumento et introitu ad hospitii locum, ubi cum multis fidelibus ibidem congregatis super amabilis filii tui morte completa iterato rursus lamento uberrime planxisti et omnium in te oculos ad complangendum provocasti.

Compatere nunc, anima mea, virgini dolorosae, matri lacrimosae, Mariae amorosae. Si Mariam diligis, debes ei compati in tantis doloribus, ut et tibi subveniat in tuis angustiis. Ecce plorat pia mater unicum filium, plorat Maria Cleophe nepotem carissimum, plorat Maria Mag-

dalena salutis suae medicum, plorat Iohannes magistrum dulcissimum, plorant omnes apostoli ablatum sibi Dominum suum. Quis non ploraret, ubi tam multi amici simul plorant? Vere magnus est iste planctus in Ierusalem. Sta ergo et tu hic paululum et disce a matre virgine planctum, cuius amarae lacrimae poterunt cordis tui intima commovere. Stat ecce nunc iuxta crucem magnis vulnerata doloribus, quondam iuxta praesepe caelestibus repleta concentibus. Gravatur nunc Iudaicis clamoribus prius angelicis confortata sermonibus, induitur nunc pallio maeroris olim honorata a regibus sanctis. Aspergitur nunc filii sui rubro sanguine, cuius candido prius fovebatur aspectu, videt inter latrones pendentem, quem saepius viderat multa signa in populo facientem. Cernit leproso similem propter vulnerum foeditatem, quem noverat multis leprosis donasse candorem. Considerat innumeris subactum doloribus, qui omnem languorem repellebat ab infirmis. Conspicit morti obnoxium, qui Lazarum defunctum ad vitae revocaverat statum; versa sunt ei omnia iucunda in tristia, et dulcia in amara. Tot malorum procellis involvitur rutilans stella maris; sed non vincitur humanis pravitatibus mens in Deo fixa permanens. Stat igi-

tur iuxta crucem constantiam servans, patientiam tenens, fidelitatem exhibens, caritatem demonstrans, mortis non horrens minatores nec maledicorum refugiens despectiones. Fert aequanimiter omnia et conformare se studet humili filio saevissimis hostibus nihil respondendo. Nullas insolentes emittit voces nec indignatos ostendit motus, sed profundos trahit gemitus, flet amare, dolet anxie, compatitur intime, affligitur nimie. Non irascitur crucifixoribus, sed orat pro malignantibus, tristatur pro derisoribus et gemit pro blasphemantibus Christum. Sic stabat iuxta crucem mater Iesu lacrimis affluens, cunctis tribulatis solacium patientiae suo miti exemplo ingerens.

O vos omnes, qui transitis per viam calvariae, respicite ad dolorosam stationem sanctae Mariae. Attendite ad crucis dexteram et videte Mariam Christiferam, an sit dolor similis dolori ipsius, si fuit aliquando talis mater in mundo, quae tanta caritate compassa est filio suo. Nam per singula Iesu membra torta ipsa convulnerabatur in anima et totiens martyr efficiebatur, quotiens cruenta filii stigmata contemplabatur.

Vide ergo nunc, anima devota, ut haec intus recondas pectore. Sis mitis et for-

tis, cum tribulationis advenerit tempus. Non conturberis nec desperate te habeas, si aufertur, quod plurimum diligis, aut si tibi negatur, quod necessarium arbitraris. Solent enim per maxima saepe gravamina carissimi amici Iesu probari. Nam si proprio filio suo Deus non pepercit, sed pro omnibus nobis gravissimis poenis exposuit, quid tu hic gaudia quaeris? Si Christus semet ipsum non quaesivit, sed oboediens atque paratus ad vilissima et poenalissima fuit, quid tu laborem et dolorem sic metuis et non potius pro amore Crucifixi dura et aspera amplecteris? Si sanctissimae matri suae multa adversa in mundo admisit, si eam saepius tribulari ac vehementer dolere atque diutius flere permisit, tu quomodo sine pressuris hic vivere poteris? Et si omnes amicos Dei consideres, nullum absque arta probatione hanc vitam enavigasse invenies. Sume itaque exemplum infatigabilis patientiae ab imagine Crucifixi et eius benedicta matre et ne verearis pro salute tua in retributionem infinitae dilectionis Iesu modicum quid sustinere, ut et in revelatione gloriae promissae eius perpetuo laeteris aspectu. Benignissima etenim mater Iesu novit afflictis pie compati, didicit ex his, quae passa est, miseris affectuose misereri,

non obliviscetur pauperum suorum, aderit orantibus, auxiliabitur maturius se invocantibus, propitia erit omnibus sibi servientibus.

O misericordissime Iesu, dulcis fili Mariae, infunde mihi, quaeso, devotarum gratiam lacrimarum et vulnera cor meum intimae compassionis affectu, quo piae matris tuae interiora noscito fuisse concussa. Intuere me illis pietatis oculis, quibus matrem et discipulum respexisti sub cruce stantes et flentes, quando alteram alteri commendasti ultimum eis vale relinquens huiuscemodi affectu sermonis: Ecce filius tuus, ecce mater tua. Visita me, obsecro, in salutari tuo ante mortem meam et fac me audire vocem illam, quam audivit beatus Iohannes de cruce: Ecce mater tua, ut hac voce percepta a timore rugientis inimici sit anima mea tute defensa.

O clementissima domina mea sancta Maria, omnium Christianorum advocatrix fidelissima, rogo te per cuncta eximia merita tua, quibus Deo maxime placuisti, et per singula humanitatis obsequia, quae tuo filio gratissime exhibuisti, atque per universas lacrimas, quas in passione eius amarissime effudisti, quatenus mei pauperis misereri digneris solita pietate curam mei maternaliter

suscipiendo atque in eorum me computes famulorum numero, qui tuo speciali amore habentur impignorati et amplexi.

O unica spes mea, gloriosa virgo Maria, veni et ostende mihi faciem tuam, priusquam anima mea egrediatur a corpore, et illos misericordes oculos tuos ad me clementer iucundeque converte, quibus Iesum, benedictum fructum ventris tui, laetissime saepius aspexisti, et quos in passione eius multis fletibus humectasti. Asta tunc mihi, sanctissima mater Iesu, cum dulci comitiva virginum tuarum et sacro collegio sanctorum omnium, sicut praedilecto filio tuo in cruce moriturо fideliter ac perseveranter usque in finem astitisti, quia post unicum filium tuum, Dominum meum Iesum Christum, non invenio tam magnum et velox in necessitate solamen, sicut te, benignissimam omnium desolatorum matrem.

[CAPITVLVM XXVII.]

De solitaria derelictione Domini Iesu in cruce.

Benedico et gratias ago tibi, Domine Iesu Christe, paternae dilectionis fili amantissime, pro tua grandi et solitaria derelictione in cruce, quando a Deo Patre et ab omni exercitu caelorum, ab

universis quoque creaturis mundi in amarae necessitatis articulo velut alienus et ignotus fuisti derelictus, ac si verus Dei filius non fuisses neque alicuius potentiae aut virtutis, sola maestissima matre cum commendato sibi discipulo et paucis fragilibus feminis tibi adhaerente, quae vix unicum verbum ad te loqui poterat prae anxietate mentis et dolore.

Laudo et glorifico te pro valido illo clamore, quando coram multis audientibus in hanc lacrimabilem vocem prorupisti dicens: Eli, Eli, lamma sabacthani? In quo quidem verbo magnitudinem dolorum et subtractionem omnis consolationis satis declarasti, et quanta pro hominum salute patiebaris, a quibus tamen pro nihilo fuisti aestimatus, immo pro pessimo malefactore habitus ac ipsa vita omnimode iam indignus.

Considera diligentissime, anima mea, praesens Iesu verbum pro tua singulari instructione prolatum. Ecce mirum dictu, quod Dominus universorum, qui nullius habet indigentiam, ad hanc calamitatis devenit miseriam, ut paternis auribus suam indicet necessitatem, quod se desertum a Patre conqueritur, qui omnia cum Patre operatur, quod se oneratum demonstrat, qui cuncta sine onere portat, quod se exulem fatetur et inopem, qui

consolari tristes et debiles solet, quod omnium votorum arbiter, qui clamorem pauperum exaudire consuevit, vocem humilis quaestionis emittit et dicit: Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquisti me? Siquidem a principio passionis eius usque modo non est auditum tam lamentabile verbum.

Agnosco igitur vocem tuam, Christe, in carne passibili pro me clamantem in cruce. Nam derelictio tua consolatio mea, querimonia tua suffragatio mea, infirmitas tua convalescentia mea, poena tua satisfactio mea pro omni peccato atque delicto. Caelestis es medicus, qui grandi compassionis affectu innumeris immersisti te doloribus et poenis. Et ideo cum infirmo infirmaris, cum dolente doles, cum peccante contristaris, cum vim patiente conquereris et pro infirmis membris tuis clamans deprecaris, unde vox ista vox carnis est et sensualitatis, non murmuris nec desperationis. Sentit quidem caro poenam, quae nullius culpae noverat noxam. Patitur corpus innocentissimum supplicium gravissimum, anima beatitudine summa perfruente, et ex deitatis praesentia nullius doloris fit minoratio, sed mirabilis exhibetur patientiae fortitudo, ut humani generis perficiatur redemptio.

Quis fidelium haec audiens non condolebit? Quis tam durus, ut non compungatur ad vocem clamoris huius? Certe ipsi ceterum insensibilia elementa ostenderunt compassionis suae tremenda signa. A sexta namque hora usque ad horam nonam sol radios sui luminis retraxit ab orbe nolens lucere indignis. Et terra commota est contremiscens ad iniurias sui creatoris dolens auctorem vitae supplicia pati et clamans mortem eius non posse se videre. Igitur sole lugente et terra contremiscente et tu, homo rationalis, luctum assume, attende clamorem Iesu, cur clamet et quid dicat. Ecce in omni tribulatione et angustia sua Dominus Iesus permansit mitis et patiens, nec aliquid ex ore eius nisi dulcedo et pietas emanavit. Ad Patrem sursum dirigit precem; praeter Deum nullius nominat nomen et eius solummodo notitiae suam insinuat desolationem. Non quaerit matris solamen nec amicorum exposcit iuvamen.

Instruit ergo te Iesus, qualiter eum imiteris in desolatione positus. Si corpore infirmaris, si mente fueris gravatus et taedio affectus, si ab aliis despiceris et gratiam hominum propter pauperiem aut aliquam ineptitudinem perdideris, noli contristari neque indignari, sed hic ha-

beto protinus recursum, hunc locum statue tibi ad refugium et cum Iesu in cruce contempto et a Patre ad horam derelicto misce colloquium eius ruminando, quod locutus est verbum: Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquisti me? Stude ergo in infirmitate tua mitem te exhibere, nec murmures, si interdum a servientibus tibi neglegaris aut rarius a fratribus visiteris. Memento exulis Iesu in cruce et de levi incommodo desine conqueri, eius opta visitationem, eius dumtaxat require consolationem, a quo poteris etiam desolatus confortari. Relinque caduca mundi solacia; non te occupet amicorum dilectio, angelorum desidera praesentiam, sanctorum pete suffragia. Erige oculos sursum ad Crucifixum, Christi meditare vulnera sancta, virginem gloriosam implora, in mente semper habeto Mariam; ad eam specialem funde precem. Ipsa enim mansit firmissima iuxta crucem audiendo Iesum magna voce ad Patrem clamitantem. Itaque omnibus exclusis terrenis ad patriam caelestem eleva mentem. Tene Deum pro patre, Iesum pro fratre, Mariam pro matre, angelos pro amicis et sanctos omnes pro cognatis. De nobili et alta progenie es tu, non carnis origine, sed spiritus libertate. Talibus

namque vallatus praesidiis, tam caris invocatis patronis, poteris confidenter diem praestolari ultionis extremae et de pietate benignissimi Salvatoris sperare.

Obsecro te, summe et venerande Pater Domini mei Iesu Christi, respice ad orationem servi tui, quam tibi hodie per manus dilecti Filii tui in cruce suspensi humiliter repraesento. Da mihi veniam de omnibus culpis meis perpetratis, nec longe subtrahas a me donum caelestis gratiae neque gravioribus me patiaris temptationibus periclitari neque perturbationum stimulis inquietari. Proba me, Domine, et tempta me, sicut noveris mihi fore utile. Verumtamen animam meam serva et fac cum temptatione talem proventum, ut queam sustinere. Converte mihi in salutis remedium et amplioris gratiae incrementum, quod dolosus hostis animae paravit ad perniciem. Adesto mihi tanto fortius et propinquius, quanto magis premor tribulationibus et minus habeo confidere in hominibus. Tu enim in angustissima necessitate permanes fidelissimus amicus. Quod si probandus fuero et ad tempus consolatione privandus, tunc concede hoc mihi patienter sufferre ac totum onus meum tibi fideliter committere nec non huius desolatae horae carissimi et gratissimi filii

tui Iesu cordintime reminisci, qui omnibus nudatus amicorum praesidiis memor fuit tui solius in extremis.

[CAPITVLVM XXVIII.]

De siti Domini Iesu in cruce pendentis.

Benedico et gratias ago tibi, Domine Iesu Christe, fons aquae vivae et rivus sapientiae salutaris, pro tua vehementi siti in cruce, quando sacro et pretioso sanguine tuo effuso omnibusque naturalibus umoribus ob nimios corporis cruciatus exhaustis prae vehementi ariditate etiam corporaliter sitiens fuisti, sed ardentiore tamen desiderio salutis nostrae sitibundus velut pauper et mendicus bibere postulasti dicens: Sitio. Sed huic exiguae petitioni defuit, qui succurreret, ut saltem calicem aquae frigidae tibi omnium aquarum conditori porrigeret. Verumtamen quidam ex circumstantibus hoc audientes nequaquam tui sunt miserti, sed inclementiores ex eo magis effecti. Nam ad explendum malitiosi pectoris sui virus mortiferum protinus spongiam aceto cum felle mixto impleverunt et dulci ori tuo amarissimum poculum ministrarunt, quod canibus dari ad sorbendum indignum satis fuisset.

Laudo et honorifico te pro tua benignissima tolerantia in accipiendo et degustando acetosissimam potionem, quam pro expiatione illicitae delectationis primorum parentum poenaliter degustasti, ut, sicut pomi interdicti degustatio fuit causa mortis, ita sapor amari potus tui fieret nobis medicina salutis.

Sed vae tibi, impie Iudaee populedurae cervicis et gravissimae iniquitatis. Quomodo conversus es ad tantam pravitatem, ut Barabbam dimitteres et Christum crucifigeres? Quomodo mutatus es in hanc amentiam, ut poculum petenti offerres acetum? Offer illud principi sacerdotum aut duci populi tui et proba, an consentiat bibere. Quid fecit tibi Christus, aut in quo molestus fuit tibi Iesus Nazarenus? Responde, obsecro, mihi. Nonne pluit tibi Deus manna de caelo et aquam produxit de petra durissima, ut comederes et biberes in abundantia? Et ecce pro dulci manna propinas vinum murratum et pro multis aquarum fluentis nec unum quidem haustum aquae Christo sitienti porrigis. Enimvero si Christus vellet, omnes aquas tuas in salsuginem converteret, et tu deficientibus pane et aqua mox perires praeariditate nimia pro misericordia denegata. Quod si etiam habere voluisset potum

suavem, non dubium, quin angeli sancti libenter ac celeriter rorem salvificum ei ministrassent de caelo omni liquore suaviorem, sicut olim ministraverant victum post inimici trinam temptationem. Sed noluit se vindicare neque signum potentiae agere. Exhibuit autem signum patientiae et longanimitatis, ut cunctos aedificaret professores paupertatis.

Sume ergo et tu, Iesu discipule, ex huius acidae confectionis poculo remedium contra edacitatem gulae. Si enim cupis cum Christo in regno Patris sui epulari, non concupiscat cor tuum lauta fercula nec vini pretiosi pocula, non mollia lectisternia neque nitida indumenta. Haec enim mundissimae vitae Iesu acerbissimaeque passioni eius sunt valde contraria. Noli dissolvi deliciis carnis, sed titillantem concupiscentiam restringe sobrietate victus. Si autem modum excesseris sive amplius sive delicatius edendo, hoc recastiga diurnis laboribus ac nocturnis vigiliis amarum Christi poculum semper ad animum reducendo cum maerore.

O Iesu, manna caelicum et nectar suavissimum, qui aceto ac felle fuisti potatus, dum sitires vehementer in cruce, nec tamen modicum aquae ad refocillandum habere potuisti, praesta mihi huius

amarissimae potionis tuae tempore refectionis meae in mensa sensim recordari, ut non effundam cor meum avide super corporis alimenta, sed ad sacrae lectionis verba sim intente suspensus. Discam cum timore tuo tantum victui meo necessaria sumere atque de mihi collatis beneficiis tibi gratiarum actiones devote referre. Nec pro cibi modicitate seu vilitate aegre sim contentus, immo indignum me iudicem pauperum eleemosynis vesci et aliorum laboribus verear sustentari. Da mihi esurire cibum, qui non perit, sed permanet in vitam aeternam. Da mihi sitire fontem vitae perennis et de convivio mensae caelestis micam panis vivi cum haustulo saporis intimi interdum percipere atque experimentaliter degustare, quam suavis sit, Domine, spiritus tuus in filiis gratiae gratis effusus.

[CAPITVLVM XXVIIII.]

De adimpletione scripturarum in morte Christi et de verbo: Consummatum est.

Benedico et gratias ago tibi, Domine Iesu Christe, arcanorum revelator, legis et prophetarum consummator, pro tua perfectissima adimpletione paternae voluntatis in brevi et acceptabili verbo

isto, quod statim post aceti sumptionem quasi totius vitae tuae clausulam recte protulisti dicens: Consummatum est, ac si patenter diceres: Iam impletum est, quidquid vetus lex de me praedixit, quidquid sacrificiorum ritus et caerimoniarum sacer cultus designavit. Iam veraciter expleta sunt oracula sanctorum prophetarum et diu optata desideria patrum antiquorum. Iam omne, quod ad redemptionem pertinet generis humani, completum habet effectum, quidquid in scripturis sanctis caelitus est promissum, totum, sicut oportuit ac decuit pro loco et tempore, palam gestum est et salubri fine terminatum. Ceterum pauca, quae restant, absque dubio in suo tempore complebuntur. Ego praeceptum Patris mei implevi, qui me misit in mundum, opus consummavi, quod dedit mihi ut facerem.

Iam ante sanitates peregi, signa divinitatis clare ostendi et, sicut docuit me Pater, ita in mundo praedicavi nec quicquam salutarium doctrinarum fidelium auribus subtraxi. Iam triginta tribus annis in terra peregrinatus sum cum hominibus suaviter conversatus, in itineribus frequenter fatigatus, ab adversariis graviter calumniatus, a discipulo traditus, ab amicis derelictus, ab hostibus

captus, a ministris flagellatus, a iudicibus condemnatus, a pontificibus illusus et hic innocens in cruce suspensus. Quid ultra debui facere et non feci? Quid amplius pati et non pertuli? Si quid minus egi vel sustinui, paratus sum ante decessum meum supplere, immo in morte mea omne debitum plene persolvam. Itaque hodie habeo consummari. Nec terminum vitae meae diutius patior prolongari, sed animam meam pro ovibus meis ex caritate mera ponam et mortem carnis, quam ex debito non merui, pro debitis peccatorum sponte hac hora suscipiam, qua novi primum hominem gustu arboris interdictae mortem perpetuam incurrisse. Etenim quae de me sunt, finem mox habebunt. Iam ultra non multa verba loquar in mundo, quia non diu hic ero, sed ad Patrem festino. Iam omnis labor cessabit, fugiet dolor et gemitus, pugna quiescet, molestia nulla post haec erit, et mors ipsa simul interibit; non restat amplius perficiendum, nisi ut Patri meo spiritum meum commendem et corpus usque in diem tertium relinquam. Novi profecto, quod viri misericordiae non obliti veteris amicitiae tollent illud secum ad sepeliendum in sepulchro novo. Ad ostensionem igitur omnis legalis iustitiae efficaciter ad-

impletae et pro novae legis institutione servanda verbum finale et abbreviatum cunctis audientibus propalo et dico: Consummatum est.

O illustrissime ac doctissime magister, Domine Iesu Christe, sicut dicis et contestaris, sic est in veritate, et non est reprehensio ulla in tuo sermone. Nam omnia quae dicis, operibus sanctis comprobas et propheticis eloquiis munita demonstras. Iam enim tempus est, ut requiescas ab omni opere, quod patrasti in terris. Et tu quidem, Domine, in principio omnia cum Patre creasti et nunc cooperante Patre omnia recreasti. Sex diebus opus mundanae conditionis fecisti et nunc sexta saeculi aetate opus humanae redemptionis consummasti. Sexto die hominem de limo terrae plasmasti et sexto die ipsum sanguine tuo redemisti. Sexto die Adam temptatus et per Evam deceptus, sexto die ab angelo annuntiatus es et in virgine conceptus. Sexto die homo peccavit et paradisum perdidit, sexto die tu pro peccatis nostris passus es, et latro te miserante paradisum recepit. Vt ergo nova respondeant antiquis, et postrema prioribus factis, digne sextum verbum in cruce fuit: Consummatum est.

Perge nunc, Domine Iesu, quo vis, et revertere ad Patrem tuum in caelis, quia

consummasti magnum pietatis opus in terris. Praecede servulos tuos, para eis viam ad sequendum te citius. Aperi ianuam regni caelestis, quam diu clauserat temeritas primi parentis. Vade visitare sanctos patres in limbo inferni, illumina sedentes in tenebris, frange potentiam diaboli, solve vincula ligatorum, subleva fessos, consolare lugentes, redime expectantes, educ captivos tuos de claustris infernalibus, cumque illos eduxeris et in supernis caeli mansionibus cum angelis collocaveris, tunc memento mei, Domine, in regno tuo, ut educas me de carcere isto, de limoso carnis habitaculo, de periculoso statu meo ex hoc vago et miserabili mundo.

Imitare autem Christum in hoc verbo Christi sectator, et ne cesses operari, quamdiu tempus habes et vires; perfice, quod coepisti, ut advesperante vitae tuae termino dicas et tu cum amicabili Iesu: Consummatum est. Quapropter ambula viam verae virtutis, sectare iustitiam, decertare praepara ad mortem contra vitia, ut apprehendas vitam aeternam valeasque cum Paulo dicere: Bonum certamen certavi, cursum consummavi, fidem servavi. Modicum laborabis, modicum tempus adhuc sustinebis; cito veniet hora tua, ut consummatus in brevi expleas tempora multa.

O lucidissimum et perfectissimum exemplar omnium virtutum et bonarum operationum praemium interminabile, Iesu Christe, caeli et terrae dominator, dirige universos actus meos in beneplacito tuo et mentis cogitationes purifica et illustra. Doce me omnia opera mea ad laudem et gloriam benedicti nominis tui humiliter incipere, diligenter perficere ac feliciter consummare. Tribue mihi non intepescere ante tempus praefinitum a Patre, sed pro denario aeternae vitae die noctuque in vinea sanctae religionis laborare atque in schola caelestis exercitii desudare usque ad exitum spiritus, quatenus te propitio tandem post multos agones longosque labores laetus tecum dicere queam hora finali incumbente: Consummatum est. Tu redde mihi, Iesu bone, mercedem pro labore, requiem pro fatigatione, gaudium pro maerore, coronam pro certamine, gloriam pro confusione, beatitudinem pro miseria, quam in mundo sustinui. Tu enim fuisti et es causa finalis totius operationis meae in loco peregrinationis huius. Esto praemium meum in regno caelorum, quia te solum desidero habere pro mercede laborum meorum, qui es beatitudo et gloria omnium sanctorum tuorum.

[CAPITVLVM XXX.]

De lamentabili emigratione Domini Iesu ab hoc saeculo.

Benedico et gratias ago tibi, Domine Iesu Christe, vita viventium, spes morientium, salus omnium in te sperantium, pro tua temporali emigratione ab hoc saeculo et felici regressu ad Patrem per dirae mortis tormentum et insigne crucis martyrium. Laudo et glorifico te pro tua pallida dispositione ad mortem et beata agonizatione in extremis, pro cunctarum virium tuarum defectione et amorosi cordis tui poenali confractione, dum tu, vivificator omnium spirituum, mortis non refugisti subire iudicium, ut viam nobis aperires ad regna caelorum. Laudo et glorifico te pro tuo forti clamore in cruce super humanam virtutem et consuetudinem in altum emisso, pro tristi divortio et amara separatione nobilissimae animae tuae ab amantissimo corpore tuo, pro devotissima recommendatione spiritus tui in manus paternas, pro humili inclinatione sacri et spinolenti capitis tui versus honorabile pectus tuum in signum filialis oboedientiae perseveranter adimpletae, pro caritativa traditione sanctissimae animae

tuae pro mundi salute et pro tua ultima locutione in hac mortali vita, quando in haec piae supplicationis erupisti verba atque hunc devotissimum versiculum legisti: Pater, in manus tuas commendo spiritum meum. Quo dicto statim expirasti et peregrinationem terrenam suavi sopore terminasti.

O quam pretiosa et victoriosa mors ista fuit, quae mortem nostram occidit et vitam nobis reparavit aeternam. Semper ergo in memoria mea mors tua, Christe, fixa permaneat, meaeque mortis in tua benedicta morte sim memor, ne desperem timidus, cum mihi supervenerit vitae meae finis incertus. Haec est hora, quam semper in mente ab initio conceptionis habuisti, ad quam sicut viator ad patriam et sapiens operarius ad finem intentum properasti. A summo quidem caelorum egressus tuus in mundum, de mundo usque ad inferos; ab inferis usque ad summum caeli thronum iterum repedasti.

Contristare nunc vehementer, anima mea, super amantissimi Domini Dei tui morte amarissima, considera, qualiter Iesus obiit, et quae in exitu eius signa contigerunt. Ecce quomodo moritur iustus, et nemo percipit corde; nemo recogitat, qualis ac quantus hic fuerit,

nisi paupercula mater eius, quae cum paucis sibi notis iuxta crucem lacrimans stabat. Vidit quippe dilectissimum filium suum ante se nudo ac cruentato corpore pendentem, vidit pallentem, vidit agonizantem, audivit cum clamore expirantem. Nec mirum, si his visis graviter doluit, expalluit, et defecit anima eius in salutari suo coram se crucifixo ac mortuo. Et tu ergo cum Maria ad crucem accede et de morte Iesu dolenter meditare. Ecce moritur innocens Iesus exul et nudus, nec miserior eo aliquis est inventus. Nemo Deo amplius dilectus, nemo ab hominibus magis fuit despectus, quam Iesus Nazarenus a Iudaeis crucifixus. Ecce quale praemium illi reddidit mundus pro omnibus inclitis gestis suis et signis. Occiditur tamquam vilissimus latronum, moritur sicut pauperrimus omnium. Moritur autem Iesus non in lecto de plumis, sed in aspero ligno crucis; non in domo neque sub tecto, sed in aperto, in loco foetido atque despecto, non in secreto thalamo, sed in publico patibulo, non in medio discipulorum suorum, sed in medio duorum latronum, non inter bracchia carae matris, sed inter cornua altae crucis. Non habuit sub se modicum straminis nec super se opertorium vilissimi linteaminis. Defuit illi

cervical capitis, pro quo habuit sertum de spinis acutis. Non habuit calciamenta in pedibus nec chirothecas umquam gessit in manibus, sed pro his clavos suscepit ferreos carnem et ossa penetrantes. Non habuit in tanta necessitate vel unum servitorem, sed pertulit iuxta se perversum quendam vicinum, impium scilicet latronem graves contumelias sibi inferentem. Nullum habuit consolatorem, sed paene omnes repperit desertores, quos prius mensae socios habuit et sectatores. Non valuit manum movere nec pedem neque in alteram se divertere partem ad relevandum vel in modico corporis sui dolorem. Stat firmiter fixus, rigidissime extensus, gravissime tortus atque ab omni parte artatus sine cura, sine auxilio, sine solacio, tamquam mortuus a corde. Sola lingua remansit ei ad loquendum libera, ut pro inimicis suis oraret et septem saluberrima verba contra septem mortalia crimina in ambone crucis nobis praedicaret. Sed nec lingua eius afflictione caruit, quia felle et aceto, dum sitiret, infecta fuit. Igitur ab imo pedis usque ad verticem capitis totus in aquis passionum Iesus demergitur et hora nona instante clamans voce magna moritur.

O qualis et quantus est iste, qui sic clamans expirat, in cuius transitu caelum

luget et terra, ante cuius conspectum mors fugit, ad cuius vocem mortui resurgunt, quem videntes portae mortis confractae sunt, cuius praesentiam diabolus ferre non potest, cuius potentiae nemo resistere valet, quem tremunt inferi, adorant superi, cui serviunt angeli, oboediunt archangeli, cuius claritate irradiatur limbus patrum, laetificatur populus sanctorum, solvuntur vincula, eruuntur animarum spolia multa. Vere filius Dei hic erat, ait centurio. Videns namque iste beatus, quia sic clamans expirasset, animadvertit in natura humana invisibilem habitare Deum moxque confitetur Dei filium, quem Iudaei deridebant crucifixum. O nimis indurati Iudaei, quos nec poena patientis emollit, nec insueta prodigia morientis convertunt. Audite tandem surdi et intuemini caeci, qui signum de caelo petistis vobis ostendi. Ecce fiunt signa in caelo sursum et in terra deorsum; famulantur Christo elementa mundi, et in hora defunctionis eius contristantur omnia, et vos miseri ridetis. Nam sol obtenebrescit meridie nolens mortem eius aspicere. Terra commovetur pavide non valens Dei iniuriam tacite sufferre. Petrae scinduntur valide et altis stridoribus suo condolent creatori. Velum templi scin-

ditur, ut remoto velamine veteri pateant sacra mysteria Christi. Ipse enim est hostia vera auferens cuncta scelera mundi. Ipse agnus Dei immaculatus tempore paschali in cruce immolatus. Ipse sacerdos verus a Deo consecratus, qui semet ipsum obtulit hostiam Patri in odorem suavitatis. Ipse summus pontifex, qui semel in anno solus ingreditur in sancta sanctorum, ut roget non tantum pro plebe Iudaeorum, sed pro salute omnium in se credentium populorum. Hoc enim veraciter egit semel moriendo pro humano genere in fine saeculorum. Monumenta etiam aperta sunt, ut futura Christi resurrectio cum multis sanctis e vicino monstraretur. Haec miranda quam plures, qui ad spectaculum convenerant, cernentes compuncti sunt valde et percutientes pectora sua revertebantur.

Revertere et tu, anima mea, ad interiora tua et geme cum gementibus, plora cum plorantibus Christum, ne saxis durior et Iudaeis infidelior inveniaris. Beatae lacrimae, quae pro amore Crucifixi funduntur. Pium namque est et multum dulce pro dulci Domino flere. Haec magna consolatio amantis animae est, ex compassione dilecti ubertim plangere. Flevit et ipse Iesus pro humanis saepe miseriis, et cum deficerent lacrimae, ef-

fudit sanguinem largiori pietate. Obiit itaque pro te in cruce Dominus Iesus Christus; sit ergo tibi de cetero mortuus totus hic mundus. Disce in morte Iesu tuae mortis recordari et stude etiam ad moriendum te praeparare. Nescis enim, quando veniet Dominus, nescis, quando te tollet factor tuus. Vigila omni tempore et ora, ut bonam horam invenias. Sic age, sic loquere, quasi hodie sis migraturus. Disce ante mortem mori, ne mors veniens tibi sit horrori, sed ianua vitae. Christus mortuus est et prophetae, et tu viam patrum mox sequeris. Magna tamen spes, magna valde consolatio in verbo Iesu dicentis: Qui credit in me, etiam si mortuus fuerit, vivet. Et iterum: Qui verbum meum audit et credit ei, qui misit me, habet vitam aeternam. Fac ergo Iesum tibi amicum, dum vivis, ut habeas eum propitium, cum obieris. Proice abs te, quidquid ab amore Iesu impedit, quidquid a caelesti regno te retardat. Cave omne, quod potest conscientiae inquinare puritatem; relinque, quidquid mentis potest tollere pacem. Tene te abstractum mundo, unitum Deo, familiarem Christo. Ambula cum Iesu in libertate spiritus, nil sit tibi curae de rebus externis. Para illi domum mentis, exhibe sibi cenaculum

grande stratum, ut faciat apud te pascha mysticum cum discipulis suis, priusquam moriaris.

Cum autem coeperis infirmari et diem vocationis tuae senseris adesse, tunc ad Iesum humiles emitte preces et loquere cum Maria et Martha dicens: Domine, ecce quem amas, infirmatur. Potens enim est pius et misericors Iesus, qui super Lazarum flevit ac mortuum resuscitavit, ab omni te plaga curare atque saeculo defunctum in die novissimo resuscitare. Pensa etiam tunc praecipue de cena dominica, quomodo humilis Iesus discipulorum pedes lavit et ante discessum suum sacri corporis sui mysterium eis in solacium tradidit. Et tu ergo a Domino Iesu humiliter pete a peccatorum tuorum sordibus ablui atque pretiosi corporis sui viatico ante exitum tuum fideliter praemuniri. Quo sumpto in gratiarum actione versare et de dulcioribus mandati eius verbis devote meditare ac deinde elevatis in caelum oculis unionem Christi totis exopta medullis. Postea ad passionem Christi te converte et ex illa consolationis medelam assume. Ingredere etiam cum Iesu et discipulis eius in hortum iuxta montem oliveti, hoc est, separa te a praesentibus amicis ad vacandum Deo in secreto liberius et

ora Patrem caelestem pro bono exitu tui incolatus; flecte cum Iesu genua, procide in faciem tuam super terram, resigna te in manus Dei et dic haec perfectissima Christi verba: Pater, non mea, sed tua voluntas fiat. Ipse enim novit melius, utrum vivere an mori tibi sit salubrius. Roga quoque adventantes fratres et fideles omnes, ut tecum vigilent in orationibus, ne inimici fraudibus molesteris. Recurre in omni angustia ad Iesum et sequere baiulantem sibi crucem usque ad calvariae locum. Ibi fige stationem tuam, ibi elige terminare vitam, ibi trade et spiritum tuum. Pone passionem et mortem Iesu inter te et iudicium futurum et respice indesinenter ad Crucifixum. Contra diaboli terrores invoca Iesu nomen et sanctae crucis leva signum. Si ille obiecerit tibi mala praeterita et peccata multa, tu replica infinita Christi merita.

Memento etiam septem verborum Iesu, quae in cruce pro tua informatione dixit. Statim namque ut crucem ascendit, oravit pro inimicis indulsitque peccantibus, ut tu cunctis debitoribus tuis ex corde dimittas et iterum tibi petas ignosci.

Secundo latroni confitenti promisit amoenitatem paradisi, ut tu non desperes ob gravitatem commissorum, sed fidenter

etiam tui meminisci poscas in regno caelorum.

Tertio beatissimam matrem suam virginem Iohanni virgini commendavit, ut tu in agone constitutus ad clementissimam matrem eius Mariam, pauperum adiutricem, instanter confugias ipsique et beato apostolo Iohanni atque omnibus sanctis te sollicite commendes. Commenda te etiam fratrum tuorum ceterorumque fidelium precibus, ut tui dignentur post exitum esse memores in vigiliis suis et in missis.

Quarto ostendit se Iesus derelictum in poenis, ut tu doloribus gravatus non impatienter feras, si non fueris statim relevatus, sed Dei ordinationi in omnibus te submittas.

Quinto ait: Sitio, ut tu ad Deum, fontem vivum, ardenter sitias cupiasque dissolvi et esse cum Christo. Hoc enim multo melius, quam diutius peregrinari in saeculo et variis adhuc involvi periculis.

Sexto protulit consummationis verbum, ut tu dierum tuorum cernens adesse finem pro omni bono peracto referas Deo laudem et, quidquid minus egisti, petas per Christum integre suppleri.

Septimo tradidit animam suam in manus Patris cum clamore valido, ut et tu

ex hoc mundo migraturus beatae commendationis illius verbum legere ac frequenter repetere non omittas, quo nil dulcius memorandum noveris in fine.

O amantissime Iesu, splendor paternae gloriae et sol iustitiae, qui pro me indigno servulo tuo dignatus es hanc vilissimam pati doloris formulam et in loco calvariae pro redemptione mundi animam tuam tradidisti ac Patri tuo orans commendasti, praesta mihi huius amarissimae mortis tuae dolorem pariter et amorem iugiter in pectore meo circumferre atque ad commoriendum tibi per mortificationem omnium vitiorum cotidie me ipsum exercere, ut appropinquante vitae meae termino in luce miserationum tuarum merear respirare et tecum in paradisi gaudia feliciter introire. Adesto mihi morienti, succurre agonizanti, occurre desideranti, defende me ab hostibus, eripe de aerumnis, consolare gementem, conforta trementem, refove deficientem, suscipe expirantem. Vltimum verbum tuum in cruce sit ultimum verbum meum in hac luce; et cum amplius fari non possum, exaudi finale desiderium meum: Pater, in manus tuas commendo spiritum meum; redemisti me, Domine, Deus veritatis. Amen.

[CAPITVLVM XXXI.]

De pallida et miseranda specie Iesu, quando anima eius migrante certa mortalitatis in eo apparuerunt signa.

Benedico et gratias ago tibi, Domine Iesu Christe, speculum sine macula divinae maiestatis, pro tua miseranda et pallida specie ex mortis invasione contracta, quando anima tua migrante a corpore certa in te mortalitatis apparuere signa. Heu heu Iesu omnium pulcherrime, periit decor iucundissimi vultus tui a squalore conspuentium in te labiis immundis, et decidit flos gratissimae iuventutis tuae in discrimine mortis. Ah piissime Deus, haec omnia venerunt super te propter peccata mea purganda, quia, ut ego mundarer in anima, tu voluisti deformari in corpore et, ut ab aeterna eriperer morte, atrocissimam mortem degustasti ad horam. O mors, quid fecisti? Quare non timuisti mittere manum tuam in christum Domini? Quid iuris in eo habuisti, aut quid culpae in filio Dei deprehendere potuisti? Occidisti, invasisti, sed non illaesa invasisti. Nam vitam occidendo occisa es et hamo divinitatis Christi perforata perdidisti tyrannicae dominationis tuae imperium

et descendente anima Christi ad inferos compulsa es reddere omnes electos in Adam mortuos, quos diutissime princeps inferni tenuerat captivos. Sic enim olim praedictum fuerat per prophetam: Ero mors tua, o mors; morsus tuus ero, inferne. Vnde et decenter in ecclesia altisonis vocibus cantatur: Vita in ligno moritur, infernus ex morsu despoliatur. Igitur in morte tua, Christe, spes mihi redditur vitae, et corona redit laetitiae principe mortis devicto. Vere magna et multiplex ex te emanavit gratia, quando in ligno crucis mortuus fuisti pro vita nostra. Nam deletur originalis culpa, remittitur iniquitas propria, ampliatur venia, mitigatur poena, suspenditur vindicta, solvitur omne debitum, nulli misericordia denegatur post fletum, quia inexhauribile est passionis tuae meritum. Non enim gratis mortuus es. Pro quo ergo mortuus es? Siquidem angelus non eguit, quia in veritate stabilis permansit. Diabolus non resurgit, quia statim post lapsum induratus fuit. Igitur pro homine mortuus es, qui diabolica fraude deceptus corruit in mortem. Et iustum fuit, quem aliena malitia prostravit, ut caritas tua illum erigeret. O quam magna pietas, o ineffabilis divini consilii profunditas! O mirandum et

semper memorandum mysterium, quo per crucem homo meruit salutem, per scandalum venit ad regnum, per poenam introiit ad gloriam, per mortem reductus est in vitam sempiternam. Est ergo sanctissima passio tua, Domine, omnium vulnerum medicina, crux tua cunctorum hostium ruina insigneque munimen fidelium, mors tua vitiorum interitus ortusque virtutum. Laetabor itaque de merito et fructu passionis tuae, consolabor de redemptione mea, contristabor autem dilectionis intuitu de amarissima morte tua; nam pium est tibi congaudere, quia mortem vicisti, et pium est tibi condolere, quia tam gravia pro me pertulisti.

Eia nunc, anima fidelis, intuere tristem ac pallidam imaginem crucifixi Salvatoris; considera singula membra defuncti Iesu et prae magnitudine compassionis fletum deducant oculi tui; fructuose namque occuparis et valde sanctam imaginationem assumis, cum Iesum in cruce suspensum specularis. Botrus Cypri in vineis Engaddi imago Crucifixi in corde viri iusti. Si ergo habes pietatis oculum, si humanitatis geris affectum, leva contemplationis tuae radium ad Deum crucifixum pro te in cruce mortuum. Ecce lignum crucis, in quo salus tua pendet, redemptio piorum, derisio perfidorum. Caput eius

spinis obsitum basse inclinatur versus pectus sacratum, nec ulla iam apparet in eo motio vitalis. Oculi eius nil vident, cuius visui nullum potest abscondi secretum. Aures eius nil audiunt, qui omnia scit, antequam fiant. Non odoratur, qui floribus praestat odoris suavitatem. Perdidit gustum, qui omnibus viventibus vitam praebet et escam. Non movet labia, qui mutorum aperit ora. Nullum loquitur verbum, qui hominem docet scientiam. Lingua, quae semper rectum praedicabat, inter fauces immobilis haeret. Facies quondam sole clarior letifero pallore velatur. Genae pulchrae sicut turturis speciem amiserunt decoris. Manus, quae caelos extenderunt, clavis perforantur asperrimis. Genua saepius in orationibus flexa stupida pendent et nuda. Crura, quae totius corporis molem velut columnae marmoreae ferebant, a fortitudinis vigore defecerunt. Pedes ad evangelizandum saepius fatigati, tamquam in nervo, sic sunt in ligno crucis ferro constricti. Omnia membra doloribus videntur plena, vulneribus saucia sanguineque respersa. Attamen ossa eius cum ossibus latronum non sunt confracta, ut scriptura divina impleretur, quia ipse est verus agnus in lege praefiguratus, cuius ossa iussa sunt integra servari. Talis

est dilectus meus, et ipse est amicus meus, filiae Ierusalem, et hic est finis defunctionis eius, pro quo si occiderer miliens, non esset condigna retributio caritatis illius.

O dulcissime Iesu, redemptor animae meae, quis mihi tribuat tecum mori in cruce, tecum sortiri tam felicem horam in egressu de corpore? Obsecro te ex totis praecordiis meis, concede mihi in hoc fragili corpusculo sic vivere et omnes actus meos pariter et affectus secundum tuum beneplacitum dirigere, ut in statu gratiae cursum meum queam consummare et ad aeternae beatitudinis bravium post varia temptationum pericula pervenire.

[CAPITVLVM XXXII.]

De dira perforatione sacratissimi lateris Domini Iesu post excessum vitae.

Benedico et gratias ago tibi, Domine Iesu Christe, fons inextinguibilis caritatis et gratiae, pro dira perforatione sacratissimi lateris tui post vitae excessum. Tunc enim, sanctorum sanctissime, ab uno ex militibus tam valide fuisti in dextera tua lancea militari percussus et transfixus, ut ferri acumen intima tua penetrante cordis tui teneritudinem at-

tingeret et de latissimo vulnere saluberrimum nobis sanguinis et aquae fontem produceret, quo totus mundus sanaretur aspersus.

O sacra et admirabilis emanatio sanguinis Christi de dextro latere dormientis in cruce, profluentis in redemptionem generis humani. O clara et suavissima excursio aquae benedictae de intimis visceribus Salvatoris in ablutionem omnium peccatorum nostrorum foras derivantis. Olim siquidem Moyses famulus Domini percussit petram in eremo, et fluxerunt aquae largissimae, bibitque populus et iumenta eius de torrente illo cum dulcedine et cessavit a murmure. Sed Longinus miles strenuus arrepta lancea in manu sua fortissima percussit petram, cum Christi aperuit dexteram; et continuo exivit sanguis et aqua, hausitque inde salutis suae sacramenta casta mater ecclesia. Sicut enim Eva omnium viventium mater est appellata et de costa Adae viri sui formata, ita et sancta militans ecclesia omnium fidelium mater est nuncupata et de latere Christi sponsi sui reformata. O magnum et pretiosum Domini mei vulnus, amandum super omnia vulnera, profundissime perforatum cunctisque fidelibus ad intrandum latissime reseratum, miraculosius fluidum, copio-

sius benedictum, posterius formatum, sed principalius insignitum. De hoc sacro et divinissimo vulneris fonte quicumque biberit vel semel amoris haustum sumpserit, omnium malorum suorum obliviscetur, ab aestu desideriorum temporalium et carnalium sanabitur, aeternorum accendetur amore, inexplicabili dulcore sancti Spiritus replebitur, fietque in eo fons aquae vivae salientis in vitam aeternam.

Intra, intra, anima mea, in dextrum latus Domini tui crucifixi. Intra per insigne vulnus ad amantissimum cor Iesu ex amore translanceatum ad pausandum in foramine petrae a turbine mundi. Accede homo ad cor altum, cor abditum, cor secretum, ad cor Dei aperientis tibi ostium suum. Ingredere benedicte Deo; cur foris stas? Patefacta est tibi vena vitae, via salutis, arca caelestis, unde fluunt aromata multa. Ecce locus refugii a facie temptantis inimici, locus propitiationis ab ira iudicii subsequentis. Hic est fons olei et gratiae iugiter manantis, qui peccatoribus numquam cessat misericordiam propinare, si ex toto corde contriti voluerint accedere. Hic est fons divini fluminis de medio paradisi egredientis ad irrigandam superficiem terrae, ad potandam sitim aridae mentis, ad ab-

luenda crimina, ad extinguendos lasciviae motus et ad mitigandas iracundiae rixas. Et tu ergo de hoc fonte Salvatoris poculum sume amoris. Trahe ex latere Iesu dulcia solacia vitae, ut vivas iam non in te, sed in eo, qui vulneratus est pro te. Da illi cor tuum, qui aperuit tibi cor suum. Ingredere per ostium sacrati vulneris ad intima Redemptoris. Invitat, ut intres, petit, ut secum permaneas, desiderat, ut cor unum cum eo habeas. Fili, inquit, da mihi cor tuum. Nil amplius a te Deus requirit; si illud dederis, gratissimum munus obtulisti. Da ergo Iesu, non alteri; da Christo, non saeculo; da cor tuum aeternae sapientiae, non vanae philosophiae. Ideo enim tam late fecit latus suum aperiri et profunde transfodi, ut via tibi pateret accedendi ad cor dilecti tui, ut possis interiora penetrare filii Dei et in vera cordis unione sibi uniri, ut omnes affectiones tuas in ipsum dirigas et cuncta opera tua ad eius honorem simplici ex corde facias, ut ipsi soli placere, ipsi pura mente et totis viribus studeas inhaerere. Vbi enim poteris securius quiescere, tutius habitare ac suavius obdormire, quam in vulneribus Iesu Christi pro te crucifixi, ubi ampliorem valebis invenire sapientiam et utiliorem capere vivendi noti-

tiam, quam in intimis visceribus passi Christi, de sub cuius pectore fons vivus liquide emanat? Vbi tam valenter licet tepefactus poteris reaccendi, tam repente ab omni strepitu servari, tam perfecte interius recolligi, sicut in corde Iesu, pro te ex amore lancea perforati? Nil sic accendit, trahit et penetrat cor hominis, sicut amor crucifixi Redemptoris. Hinc et quidam sanctus dicebat: Amor meus crucifixus est. Cui affectanter respondeo: Ecce amor meus vulneratus est et perforatus, ut liber ingressus ad amabile cor eius mihi donetur.

Propera, quantum pia aviditate praesumere licet, sacro lateri Iesu te applica, ut sanguine eius aspergaris et aqua. Et si possibile est, extrahe cor tuum et pone iuxta cor Iesu, ut ipse hoc custodiat, regat et possideat, ne amplius in diversa raptetur et inquinetur. Revela illi cor tuum; committe te illi confidenter, trade ei omne velle tuum et nolle; sit tibi cor unum et anima una in Deo, idem sapere et unum sentire per omnia cum eo secundum summum beneplacitum eius usque in sempiternum. Tunc eris in magna pace nec de facili poteris perturbari aut inordinate contristari, cum ex integro tradideris Iesu cor tuum ad perpetue conservandum et inhabitandum.

O sincerissime Iesu, omnium secretorum conditor et amantium cordium inhabitator! O cruciforme spectaculum omnium contemplativorum! O deificum gazophylacium omnium gratiarum et donorum, rex Christe, redemptor fidelium, qui sanctissimum latus tuum mucrone dirae 'anceae aperiri fecisti! Aperi mihi, quaeso, portam misericordiae tuae, sine me ingredi per magnum et evidens ostium lateris tui ad amantissimi cordis tui arcanum, ut tibi uniatur cor meum insolubili caritatis vinculo atque vehementer accendatur, ut tu in me et ego in te habitem ac permaneam confoederatus in perpetuum. Vulnera cor meum sagitta caritatis tuae, transeat militaris lancea tua per viscera mea perfodiatque omnia interiora mea, quatenus ex hac salubri vulneratione perfectam sanitatem anima mea consequatur, ut nullum praeter te amatorem admittam, nullam extra te consolationem requiram. Sit cor meum tibi soli pervium et apertum, mundo alienum, diabolo clausum, et contra quaelibet temptamenta signo crucis undique praemunitum.

[CAPITVLVM XXXIII.]

Depositio Domini Iesu de cruce.

Benedico et gratias ago tibi, Domine Iesu Christe, fortitudo divina, pro humili depositione tua de altitudine crucis hora vespertina, in qua pependisti usque ad solis occasum pro salute nostra, de qua et iussus es deponi secundum veteris instituta legis et propter instantem paschalis festi diem sabbato sancto celebrandam.

Laudo et glorifico te pro devoto obsequio a familiaribus amicis caritative tibi impenso, quando illi iustissimi viri Ioseph ab Arimathaea et Nicodemus doctor legis, cum suis vernaculis ad crucem accedentes et erectis in altum scalis alius ad dexteram, alius ad sinistram conscendens, alius vero ad solvendos pedes se coaptans cum omni honestate et pietate tres pretiosos clavos auro fulgente digniores de sanctis manibus tuis ac pedibus extraxerunt atque simul iunctis potentibus sociis nobilissimum corpus tuum reverenter amplectentes modeste et provide ad ima submiserunt.

Benedicti vos viri misericordiae, qui fecistis hanc misericordiam cum Domino Deo vestro, ut eum debitae traderetis

sepulturae. Nam fidelitatem, quam prius viventi exhibuistis amico, etiam postea ampliori devotione exhibere curastis defuncto. Ideoque specialem remunerationem a Deo percipietis in caelo, cui vos tam fideles demonstrastis in mundo. Et cui iam locum sepulturae parastis in terris, absque dubio ipse iterum vobis praeparabit feliciorem mansionem in caelestibus, sicut hesterna nocte suis promiserat discipulis.

Vtinam et mihi omnium servorum Dei minimo licuisset interesse Domini mei exequiis, ut saltem modicam ei servitutem impendere potuissem. Certe libenter scalam crucis tenuissem, vel ad extractionem clavorum tenellam fabrilem sursum porrexissem, aut etiam deferentibus manum adiutorii contulissem. O quam bene mihi contigisset, si tam propinque stetissem, ut unum ex dominicis clavis ab alto desilientem in sinu meo recepissem pro dulci memoriali passionis eius, ut quotiens illum inspicerem, ad lacrimas statim commoverer.

Laudo et honorifico te pro desiderabili illo amplexu, quando inter manus et bracchia tristissimae matris tuae susceptus es et amplexus atque eidem ex compassiva devotione a fidelibus traditus et in virginali eius gremio collocatus. O

quantae lacrimae ex purissimis oculis eius tunc fluebant, quam calidae guttae ex pudicissimis genis eius tunc pendebant, quae de materno vultu super extinctum corpus tuum mox prostillarunt. O quam pura labia in defuncta membra tua puritatis mater tunc impressit, quam dolenter et instanter stigmata sacrosancta inspexit. O quam votivis bracchiis benedictum ventris sui fructum circumstrinxit ac tenuit, quem pro salute mundi in ara crucis immolari vidit. Quis devotorum tanti doloris angustias capere, quis ubertatem illarum lacrimarum sufficeret edicere, quas pia mater Iesu tunc effudit?

Nunc igitur accede propius, anima mea, et devote osculare rubicunda Iesu vulnera. Siquidem, cum penderet in cruce conclavatus, nulla via patuit accedendi propter vim populi comprimentis et altitudinem crucis; nunc vero in sinu gemebundae invenitur matris, ubi vulneratus iacet et mortuus. Accede itaque, quicumque peccator magnus, quem aeternae damnationis perterret metus, quia pro te occisus est agnus, pro te oblata est hostia, quae totius mundi tulit offensam. Tam pius et misericors est Dominus Iesus, tam pia et dulcis est Maria mater eius, ut nemo vacuus, nemo abscedat inconsolatus, si ex toto corde veniam postulaverit.

O quam dulcia sunt haec dicta mihi peccatori, super mel et favum cordi meo. Nam totum pro me gestum video, quidquid Iesum in carne passum lego. Totum etiam mihi ad meritum cedit et solacium, uidquid boni in vita sua beata virgo egit, quidquid sacri ministerii Christo impendit, quidquid adversitatis in mundo cum Iesu pertulit.

Serva igitur, electa mater, in gremio unicum filium tuum dilectum pro me occisum, serva tam diu Iesum extra sepulturam, donec flexis humiliter genibus adorem eum super terram, donec effundam coram eo preces meas et deosculer vulnera eiusque membra martyrio tormentata. Exaudi me, domina mea, esto mihi propitia, imple vota mea, porrige mihi ad osculandum, quem diligit anima mea.

[CAPITVLVM XXXIIII.]

Orationes ad membra Christi. Et primo ad pedes.

speciosi pedes Domini mei Iesu Christi, qui unius durissimi clavi incussione pariter transfixi fuistis et pretiosum sanguinem in magna quantitate emisistis, adoro vos reverenter, et osculor diligenter petens mihi dimitti,

quidquid stando vel deambulando deliqui. Ave Maria.

Ad crura.

O decora crura et humilia genua Domini mei Iesu Christi, quae saepe in oratione super nudam terram curvata et prostrata iacuistis et in passione gravi stimulatione vexata fuistis, adoro vos humiliter et osculor suppliciter rogans mihi promptius ignosci, quotiens in Dei servitio piger et indevotus extiti. Ave Maria.

Ad ventrem.

O sacer et incontaminatus venter Domini mei Iesu Christi, quem portavit et aluit virginalis aula sanctae Mariae, qui multis verberibus fuisti acerrime percussus, adoro te dignanter et osculor compatienter supplicans mihi relaxari, quotiens corpori meo ampliorem, quam necessitas exigebat, curam impendi. Ave Maria.

Ad latus.

O dignissimum latus Domini mei Iesu Christi, in quo divini amoris patet vulnus amplissime transforatum, adoro te praecipue et osculor perintime flagitans mihi veniam concedi, quotiens caritatem fraternam laesi et ab amore caelesti refrigui. Ave Maria.

Ad dorsum.

O patientissimum dorsum Domini mei Iesu Christi, quod promptum fuit portare lignum vitae et omnia peccatorum onera sine contradictione, perferens etiam durissimos ictus flagellorum, adoro te devote et osculor morose orans mihi remitti, quotiens minus patienter gravamina imminentia pertuli. Ave Maria.

Ad manus.

O venerabiles manus Domini mei Iesu Christi in cruce longius extensae et ferreis clavis grossis perforatae, adoro vos fideliter et osculor lacrimabiliter postulans in me abstergi, quidquid illicito actu vel contactu perpetravi. Ave Maria.

Ad pectus.

O mundissimum pectus Domini mei Iesu Christi, in quo nulla labes peccati fuit nec intrare potuit, super quod beatus Iohannes apostolus in cena recubuit, adoro te sincere et osculor affectuose deprecans in me plene purgari, quidquid sordida cogitatione contraxi. Ave Maria.

Ad collum.

O candidum et macilentum collum Domini mei Iesu Christi fame ac siti frequenter extenuatum, numquam curiose

adornatum nec in altum vane extensum, sed humili reverentia patri et matri subiectum, quod in passione duriter fuit colaphizatum, adoro te humiliter et osculor amabiliter orans mihi dimitti, quidquid ostentationis causa peregi. Ave Maria.

Ad os.

O suavissimum os Domini mei Iesu Christi, a quo salutis verbum derivavit in mundum, quod Iudaeorum saliva extitit inquinatum et aceti poculo amaricatum, adoro te et osculor benigne flagitans mihi ignosci, quotiens edendo, bibendo aut loquendo deliqui. Ave Maria.

Ad faciem.

O inclita facies Domini mei Iesu Christi plena amicabili reverentia, turpiter a Iudaeis consputa, nequiter caesa, iocaliter velata, adoro te eleganter et osculor affectanter petens, ut mihi indulgeas, quotiens vultum tuae serenitatis offendi. Ave Maria.

Ad aures.

O felices aures Domini mei Iesu Christi, quas nullius vanitatis aura perflavit, nec ullus ridiculosus sermo aut iniuriosus a statu rectitudinis permutavit, adoro vos honorabiliter et osculor reverenter deprecans in me celerius aboleri, quidquid

vanitatis hausi per illicitum auditum. Ave Maria.

Ad oculos.

O praeclarissimi oculi Domini mei Iesu Christi ab omni concupiscentia puri et in mortis violentia obscurati, unde dulcis saepe lacrimarum profluxit imber, adoro vos cordialiter et osculor suaviter obsecrans mihi indulgentiam largiri pro omni macula ex visu nocivo quaesita. Ave Maria.

Ad caput.

O sublime et reverendum caput Domini mei Iesu Christi habens acutissimam coronam de spinis vertici impressam, cuius circumpendentes capilli sanguine defluente intincti sunt et sacrati, adoro te cum angelis et potestatibus universis et super omnia sacra vulnerum loca osculor te carius ac deprecor instantius, ut ab omni peccatorum spinositate me absolvas et in numero electorum tuorum inter minima saltem membra computare digneris. Amen. Ave Maria.

[CAPITVLVM XXXV.]

De veneranda sepultura Domini Iesu.

Benedico et gratias ago tibi, Domine Iesu Christe, odor vitae, candor lucis aeternae, pro tua suavissima conditura cum aromatibus pretiosis; quae licet tibi necessaria non esset pro corruptione pellenda, erat tamen ex devotione famulantium tibi plurimum accepta ac etiam secundum Iudaicae consuetudinis formam licenter admittenda, sicut de nonnullis patriarchis et regibus legitur tali more sepultis.

Laudo et honorifico te pro diligenti involutione sacri corporis tui in sindone munda nec non pro decenti circumvelatione benedicti capitis tui in sudario albo et puro, quod postea repertum fuit in sepulchro sancto.

Laudo et glorifico te pro tua flebili deportatione ad locum sepulturae, pro reverenda impositione tua et humili reclinatione in monumento novo de petra exciso a nobili decurione Ioseph tibi donato, ubi, quia hora tardior erat, fuisti honorifice cum multis lacrimis sepultus atque sub grandi lapide firmissime clausus.

Gaude, venerabilis Ioseph, de tantae pietatis officio et de tam sublimi cari-

tatis opere in Christo. Regratior tibi multum et recommendo excellenter tuam nobilitatem, eo quod feceris hanc rem omni honore dignissimam, quia non solum petisti a Pilato sepeliendi licentiam, sed etiam proprium ei aperuisti sepulchrum, quod tibi paraveras ad repausandum in eo post mortem. O quanti existimavit te Deus, ut apud te eligeret sepeliri prae cunctis mundi locis, in cuius nimirum potestate erant omnes fines terrae et quae caeli ambitu continentur. Dico tibi, virorum illustrissime, quod exinde eris apud Deum et homines honoratus, quamdiu steterit mundus, et fidelium floruerit numerus.

Erit enim hoc venerabile sepulchrum prae omnibus sanctorum ac regum sepulchris, gloriosum magis et inclitum atque in toto orbe terrarum celebrius nominatum. Venient ad hunc locum sanctum invisendum de extremis finibus terrae peregrini multi et adorabunt in loco isto, ubi requievit corpus Domini. Hic ergo sepultus est Iesus, hic positus est Crucifixus, hic lamentatus est a mulieribus, hic custoditus est a militibus, hic surrexit tertia die Christus, hic visus est a Maria Magdalena Iesus, hic apparuit de caelo angelus Domini, hic perterriti sunt custodes sepulchri et facti sunt velut mortui.

Reside igitur et tu hic modicum iuxta monumentum, ad plangendum cum mulieribus Dominum Iesum pro te sepultum. Decet enim illi lamentationis exhibere officium, a quo perpetuae exultationis desideras percipere praemium. Perpende itaque, quam graviter contristabantur tunc omnes Christi fideles, maxime autem sanctae mulieres, cum Iesum a se tolli et in sepulchro claudi conspicerent, pro cuius amore omnia contempserant, quem tanto terrarum spatio secutae fuerant, cui tam devote saepius de facultatibus suis ministraverant atque in tantum dilexerant, ut ab eius dulci praesentia ad modicum vix sequestrari poterant, cum quo semper vivere et iucunde conversari affectabant, per quem et perpetue se posse beari credebant. Certe quanto amor erat intensior, tanto et luctus fuit amarior.

Super omnia autem mentes tristium affligebat, quia spes resurgendi videbatur ablata, et fides earum quodammodo cum Iesu in tumulo sepulta. Nulla ergo consolatio miseris superesse sentiebatur, quam defunctum lamentari aut ire aromata praeparare, ut si mortuum suscitare non possent, saltem a corruptione fidelissima unctione sua servarent. Sed o sanctae et religiosae mulieres Christum

incessabili amore diligentes, nolite, quaeso, nimium plangere, nolite penitus desperare; recordamini verborum Iesu, quae praedixit, et expectate paulisper, post tres namque indubitanter dies resurget. Tunc videbitis eum in magna claritate et cordis laetitia, quem nunc plangitis sepultum in infirmitate et maestitia. Tunc erit gaudium novum omnibus amicis eius, qui nunc gravissime de morte eius et sepultura contristantur. Nec erit illi omnino tunc necessaria unctio vestra, quia resurgens a morte in summa apparebit gloria. Vestietur enim immortalitatis stola, et mors ei ultra non poterit dominari.

Disce et tu in sepultura Iesu de dissolutione corporis tui fructuose pensare: Necesse est terrae commendari, quod de terra accepisti; pulvis es et in pulverem reverteris. Vnde ergo superbis mox putredo futurus humoque operiendus? Quid in mundo concupiscis cito ab ipso expellendus et hominum pedibus conculcandus? Cernens igitur sepulchra mortuorum memento te illis in proximo sociandum. Ibi quippe constituta est domus omni viventi. Ibi dives et pauper iacebunt communi lecto prostrati, modico spatio terrae contenti. Ibi nobilis ab ignobili non discernitur, nec imbecillis a

potentiore amplius conculcabitur. Ibi avaro nihil proderit pecunia, nec astuto exquisita nequitia. Ibi delicatus erit esca vermium, et quondam formosus in stola sua gravis foetor narium. Ibi curvabitur altitudo virorum, et evanescet laus superborum. Ecce quomodo tendit ad nihilum omne mortalium genus, et ad suam originem redit omnis caro per culpam corrupta.

Quapropter sic studeas modo vivere et spiritu facta carnis mortificare, ut carne putrescente in pulvere anima tua mereatur felici in pace requiescere. Si enim diem parasceues nunc agis in labore et maerore, habebis sabbatum sanctum in requie ac deinde laetissimum pascha in resurrectione iustorum. Quanto igitur strictius nunc vivis in mundo, tanto tranquillius dormies in sepulchro. Quanto nunc firmius cruci adhaeres, tanto securius ad Christum pervenies.

Quanto nunc amarius peccata tua deploras, tanto minus ultricibus flammis exurenda relinquis. Plange, plange, dum tempus est gratiae, dum porta patet misericordiae, dum accepta est Deo paenitentia, et copiosa apud eum redemptio. Plange quoque miserabilem statum mundi et magnam mollitudinem hominum, quod tam pauci inveniuntur veri imitatores

Crucifixi, et tam multi frigescunt a fervore spirituali.

Sit proinde cotidianum exercitium tuum meditari Iesum Christum, et hunc crucifixum tibi semper praepone, a cruce Iesu non recede, sed vivens et moriens cum Iesu tumulum ingredere, ut, cum apparuerit Christus vita tua, cum ipso resurgas in gloria. Amen.

[TRACTATVS ALTER.]

DE

RESVRRECTIONE ORATIONES IN DVAS PARTES SECTAE.

[TRACTATVS ALTERIVS PARS PRIOR.]

DE RESVRRECTIONE CHRISTI ET APPARITIONIBVS EIVS.

[CAPITVLVM I.]

De victoriosissimo triumpho mortis in cruce Domini nostri Iesu Christi et de laetissima resurrectione eius de sepulchro.

BENEDICO et gratias ago tibi, Domine Iesu Christe, salvator mundi, pro victoriosissimo triumpho mortis in cruce et pro tua gloriosa et laetabunda resurrectione de sepulchro, in quo iacuisti tribus diebus ac noctibus pro nobis vere mortuus et cum multis lacrimis sepultus, ab humanis oculis absconditus et grandi lapide obturatus, ut nec tangi posses nec videri ab amicis et discipulis tuis. Vbi etiam a perfidis militibus forti armatura fuisti custoditus, ne resurgeres iterum a mortuis et manus eorum evaderes, aut ne forte discipuli tui furtive te raperent et alibi caute transferrent et pro Deo colerent et in populo dicerent: Surrexit a mortuis Crucifixus.

Sed certe mentita est iniquitas sibi, et ad nihilum redacta omnis versutia diaboli, omnis potestas Pilati, omnis perversitas populi, omnis nequitia sacerdotum, omnis peritia scribarum, omne consilium pharisaeorum et seniorum, qui nitebantur nomen sanctum tuum delere de ore hominum. Sed revera non est consilium contra Dominum, nec praevalet potentia terrena contra altissimum, nec proficit prudentia carnis contra Dei sapientiam, nec dolosa cautela decipere potest Deum omnia scientem. Nam qui fundasti terram super stabilitatem suam et posuisti mari terminum suum et omnia creasti in pondere, numero et mensura, novisti etiam tempus et horam resurgendi, sicut noveras tempus nascendi et horam moriendi.

Igitur media nocte abeunte et diluculo propinquante, o clementissime Iesu, cum glorioso corpore in maxima laetitia et ineffabili claritate resurrexisti vivus et laetus de sepulchro clauso, sicut in nativitate existi de virginali sanctissimae matris tuae virginis Mariae utero salvo semper perpetuae virginitatis eius signaculo, tibi Deo soli pervio cooperante Spiritu sancto in hoc tam alto divino mysterio stupendoque miraculo a saeculo inaudito.

Hanc autem sacratissimam resurrectionis tuae festivitatem sole clariorem et omnibus festivitatibus anni digniorem sanxisti ritu perpetuo ab omnibus fidelibus per orbem laetissimo corde et consona voce in hymnis et psalmis cum alleluia frequenti repetitione sollemniter celebrandam ac felici commemoratione cum gratiarum actione dignissime recolendam.

In hac denique nocte cernentibus angelis et congaudentibus tibi de nobili triumpho mortis et inferni devastatione aeternitatis nobis aditum misericorditer, rex Christe, reserasti, sicut antea discipulis tuis praedixisti, et ipsis adhuc nescientibus stolam gloriosi corporis tui laetissime induisti. Tunc doluerunt et ingemuerunt omnes principes tenebrarum ob claritatem vultus tui in humana natura. Et factus est etiam terrae motus magnus, et timor militibus incussus custodientibus sepulchrum cum virtute armorum, qui statim facti sunt velut mortui ex terrae motu et insolita visione angelorum. Nam angelus Domini descendens de caelo et niveo candore fulgens grandem lapidem removit a monumento viam rectam et tutam praeparans sanctis mulieribus venientibus cum aromatibus pretiosis ad ungendum denuo

Iesum in sepulchro, ut possent secure accedere et videre sepulchrum esse vacuum et ibi non esse Iesum, sed surrexisse.

Laudo et magnifice exalto te, potentissime rex regum, Domine Iesu Christe, princeps caeli et terrae omniumque rerum conditor alme pro dura debellatione inferni et forti alligatione superbi luciferi proiecti in stagnum ardentis ignis et foetentis sulphuris ac picis.

Laudo et glorifico te pro magna subiugatione daemoniacae pravitatis et potestatis contra genus humanum, ne tantum valeant malignari nunc daemones, quantum desiderant, et sicut ante tuam incarnationem et passionem agitare consueverunt. Quibus iusto iudicio redditum est in caput ipsorum omne scandalum et consilium Iudaeorum, quod tibi paratum fuit per crucis supplicium in medio duorum latronum.

Et ecce iam surrexisti et infernorum regnum debellasti et omnem virtutem daemoniacam signo sanctae crucis elisisti et superbiam eorum sub pedibus humilium servorum tuorum stravisti, quos de mundo elegisti. Nunc enim omnes Christiani nobiles et vulgares gaudent se signo sanctae crucis insigniri et portant illud confidenter in frontibus suis ad ho-

norem nominis tui contra terrorem serpentis antiqui et contra insultationem omnis infidelis Iudaei et pagani, qui adhuc odiunt nomen Iesu Christi, filii Dei pro salute mundi crucifixi.

Laudo et honorifico te, benignissime Iesu, pro tua benigna visitatione sanctorum veteris testamenti in limbo inferni et pro liberatione omnium fidelium animarum in sinu Abrahae quiescentium. Qui diu cum magno desiderio expectabant adventum tuum ad inferos venturum et lacrimabili voce, sicut in processione hodie cantatur, ad te devote clamabant: Advenisti desiderabilis, quem expectabamus in tenebris, ut educeres hac nocte vinculatos de claustris.

Laetare ergo nunc, praecipue tu primordialis pater noster Adam, naturalis origo generis humani, cum nobili coniuge tua Eva de latere tuo in paradiso formata, quia advenit Christus ex genere tuo de virgine natus et in cruce immolatus ad liberandum te cum omnibus concaptivis filiis tuis in fide eius et spe gratiae caelestis defunctis, videlicet de manu inferi, de domo carceris, de umbra mortis, de lacu leonum et terrore daemonum pessimorum, ad reducendum te cum omni sancta progenie tua et dilecta societate angelorum et cum suavissima

iubilatione canticorum in paradisum voluptatis et aeternae felicitatis.

Congaude et tu, sancte patriarcha Abraham, multarum gentium pater, cum Sara, fideli coniuge tua, de incarnatione Christi tibi promissa et in praesenti festivitate completa; cuius diem diu expectasti et optasti videre. Quia sicut firmiter credidisti, ita iam veraciter Christum caelestis regni donatorem ex semine tuo natum laeta facie videre meruisti.

Congratulare et tu, pater senissime Isaac, de clara visione Christi et descensu eius ad inferos, de quo ante mortem tuam prophetasti et in benedicendo Iacob filium tuum mysticis verbis Christum super omnes sanctos benedictum pulchriter praesignasti et commendasti dicens: Ecce odor filii mei sicut odor agri pleni, cui benedixit Dominus. Qui maledixerit tibi, sit ille maledictus, et qui benedixerit tibi, benedictionibus repleatur.

Propterea et ego haec audiens et legens gratias ago tibi, Deo meo, et super omnia sanctorum nomina benedico dulce nomen tuum, dulcissime Iesu Christe, ut hic et in aeternum merear a te cum electis benedici et caelestibus bonis repleri et cum angelis sanctis beatificari.

Laetare et tu, Iacob, luctator fortissime, in hac die, maxime de caelesti gloria et

iucundo aspectu Iesu Christi, de quo olim inter benedictiones filiorum tuorum fiducialiter orans praedixisti: Salutare tuum expectabo, Domine. O vere dulce verbum ad audiendum piis laetitia plenum. O salutare verbum, in quo nomen Iesu latenter est signatum, a patriarchis et prophetis diu desideratum, patienter expectatum et tandem oculis praesentatum. Non enim aliud nomen est sub caelo datum hominibus, in quo oporteat nos salvos fieri, quam hoc dulcissimum nomen Iesus ab aeterno et usque in aeternum super omnia benedictum in saecula. Ipse quidem Iesus salutare Dei promissus in lege, natus de virgine, passus in cruce resurrexit tertia die, implevit omnia, quae de eo locuti sunt sancti patriarchae et omnes prophetae. Dic ergo nunc aperte, sancte Iacob, in laetitia cordis tui, loquere de Christo apparente in gloria patris sui coram angelis Dei. Video iam Dominum meum facie ad faciem, et salva facta est anima mea. Quid ultra desideras, et quid felicius habere poteris? Si tam magnum gaudium habuisti, quando angelum Dei vidisti, o quantum gloriari nunc debes, quia angelorum Dominum videre meruisti. Si revixit spiritus tuus, quando audisti: Ioseph filius tuus vivit et ipse

dominatur in tota terra Aegypti, quanto magis gaudebis de Christo resurgente de sepulchro, numquam de cetero morituro, sed super omnes in caelo et in terra sine fine regnaturo?

O vos omnes sancti patriarchae et prophetae, o reges et duces populi, o senes et iuvenes, virgines et viduae fideles, o sacerdotes et levitae, doctores et scribae, o spiritus et animae iustorum, sancti et humiles corde, gaudete et exultate hodie in Domino Iesu Christo, salutari nostro. Laudate et superexaltate eum in saecula, quia ipse venit visitare vos et laetificare omnes, qui expectabant redemptionem plebis suae Israel.

Obsecro te nunc, piissime Domine Iesu Christe, vera salus animae meae et tota fiducia mea, in hac fragili vita a iuventute mea et usque in senium et praesentem diem et horam, ne derelinquas me pauperem et infirmum inter tribulationes ac temptationes variis modis me impugnantes. Conforta me, Deus meus, in omni pressura cordis mei propter meritum sacratissimae passionis tuae et vehementes dolores et uberrimas lacrimas beatissimae matris tuae Mariae, quas ex compassione et aspectu vulnerum tuorum iuxta crucem stando et amarissime flendo effudit. Laetifica quoque

me propter merita omnium dilectorum sanctorum tuorum, patriarcharum, prophetarum, apostolorum, omniumque sanctorum laetantium iam tecum in regno caelorum.

Memento, Domine, verbi sancti tui, quod dixisti, quia multi ab oriente et occidente venient et recumbent cum Abraham, Isaac et Iacob in regno caelorum. Fac ergo me, quaeso, Domine, huius sanctae societatis et mensae caelestis participem fieri in regno caelorum, qui hodierna die in glorioso corpore de sepulchro resurrexisti et aeternae vitae gaudia omnibus te diligentibus cum angelis in caelis firmiter promisisti. Qui vivis etc.

[CAPITVLVM II.]

De devota visitatione sancti sepulchri Domini nostri Iesu Christi.

Benedico et gratias ago tibi, Domine Iesu Christe, omnium tristium et maerentium consolator, pro devota illa visitatione sanctarum mulierum venientium valde mane ad sepulchrum tuum orto iam sole, ut possent omnia ibi clare videre, quae facta erant in illa sacratissima nocte inter omnes sacras noctes benedicta.

Laudo et magnifice commendo sanctum illum fervorem sanctarum feminarum nobiliumque dominarum quaerentium iterum sanctissimum corpus tuum inungere, quia tam mane, cum adhuc tenebrae essent, aliis forte dormientibus festinanter surrexerunt et pariter ibant, sicut honestius et secretius poterant, versus sepulchrum portantes aromata, quae paraverant ad ungendum. O quantus dolor in corde, quantus luctus in oculis oriebatur, cum in via iuxta locum calvariae transirent et crucem aspicerent, aut cum vestigia passionis tuae notarent et omnia vulnera tua pensarent. O quanta sollicitudo eas urgebat et lacrimari faciebat, cum monumentum viderent et adinvicem loquentes dicerent: Quis revolvet nobis lapidem ab ostio monumenti? Nec mirum, si plorabant. Sciebant enim vere, quia tam grandem lapidem non poterant suis viribus a sepulchro removere. Timor ergo cogebat recedere, sed amor suadebat ultra procedere nec militum custodiam timere. O si Petrus et Iohannes hic essent, sperandum utique, quod libenter nos adiuvarent. Erat quippe lapis ille magnus valde, quod decem fortes viri vix possent eum removere. Sed melius est, o bonae feminae, quod apostoli domi maneant et lateant et pro vobis interim

orent, ut Deus vos custodiat et desiderium vestrum impleat, quam in periculo corporis sui huc venirent, et milites eos trucidarent. Ex hoc enim maior tristitia contingeret et vos gravaret, si post Dominum nostrum etiam discipuli eius necarentur.

Quid ergo facietis, et quorsum ibitis? Rogo vos, stetis simul et oretis, non timeatis, sed secure procedatis. Confidatis in Domino, quod cito veniet vobis auxilium de caelo et bonum responsum ab angelo, qui scit, quid factum est de Domino pridie sepulto. Novit Deus cor vestrum, quae estis, et unde venistis, quem quaeritis, et quid in manibus portatis, et quid sub palliis vestris absconditis. Ascendit enim odor suavissimus ex aromatibus vestris coram Deo in caelestibus choris, et sancti angeli delectantur suavitate sanctae orationis vestrae et de ferventi amore, quem ad Iesum habetis et pio opere modo ostenditis. Amor certe omnia vincit et neminem timet. Amor non cessat, donec ad visionem dilecti perveniat. Idcirco festinate, procedite et silete, sepulchrum diligenter considerate et, si apertum fuerit, confidenter intrate. Si non audetis intrare, modicum expectate et orate, in caelum aspicite, gemitibus et fletibus portam

pulsate, donec angelus Domini de caelo descendat et vobis dicat: Nolite expavescere, scio enim, quod Iesum, qui crucifixus est, quaeritis. Venite et videte locum, ubi positus erat Dominus. Non est hic, ut videtis, sed surrexit, sicut praedixit vobis. Si verba eius bene iam retinetis, nil de eius resurrectione dubitare debetis. Amor Iesu vos de mundo retraxit, amor eius vos ad sepulchrum eius nunc adduxit. Amor Iesu in passione vos contristavit, amor eius in resurrectione sua vos laetificabit. Expectate paulisper, et videbitis eum indubitanter. Non quaeratis eum amplius iacentem in sepulchro, sed viventem cum angelis in caelo, non in Bethania cum Martha cenantem, sed ad dexteram Patris in summa gloria sedentem, non in navicula cum Petro navigantem, sed super omnes choros angelorum regnantem, non in monte praedicantem, sed super omnem creaturam caeli et terrae dominantem. Recordamini, quomodo praedixit, quia oportet filium hominis crucifigi et tertia die a morte resuscitari.

Nunc ergo abite ab angelo consolatae et confortatae. Ite festinanter et bona nova amicis portate et magna gaudia tristibus discipulis nuntiate, et ne desperent, quia Iesum reliquerunt et fuge-

runt omnes. Iam ad spem veniae revocate; sed praecipue dicite Petro, qui eum ter negavit et propter hoc amarissime flere non cessat, ne diffidat, sed de magna et solita pietate Iesu saepius sibi ostensa confidat, quia hodie pro certo eum videbit et intime gaudebit. Narrate ei omnia, quae audistis et vidistis, quia vere surrexit in hac nocte Dominus noster Iesus Christus.

O sancte Petre, cessa iam flere, surge cito et veni, curre cum sancto Iohanne, intra monumentum secure et vide ibidem linteamina et sudarium Iesu iacere. Crede angelorum verbis, qui dicunt Iesum resurrexisse et vivere et in Galilaeam velle transire et discipulis suis apparere. Gaude et congaude Christo, sancte Petre, summe pastor ecclesiae, quia surrexit bonus pastor, qui pro te et ovibus suis mori dignatus est in cruce. O dulcis responsio ex ore angeli ad consolandum corda tribulatorum et dandam spem veniae peccatoribus exemplo beati Petri et multorum aliorum sanctorum, qui post lapsum fortiores surrexerunt. Benedictus Deus, qui non deserit tribulatos corde et humiles spiritu salvat et confortat in fide, qui nullum praeter ipsum solum quaerunt nec videre desiderant.

O sanctae mulieres, quae multa bona de Iesu audistis, si occurrerit vobis Iesus in via et dixerit: Avete sorores, teneatis firmiter pedes eius et non dimittatis eum recedere, donec benedixerit vobis. Adorate eum flexis genibus super terram et salutate eum amicabiliter verbis pacificis etiam ex parte mei peccatoris veniam humiliter petentis. O si talem devotionis gratiam merear habere cum lacrimis, qualem vos habuistis in visione eius. Spero, quod vos libenter exaudiet pro sanctitate meritorum vestrorum et exhibitione obsequiorum sibi saepe factorum.

Laudo et honorifico te, benignissime Iesu, pro tua maxima clementia et pia allocutione ac laeta salutatione verborum tuorum, quibus salutasti sanctas et devotas feminas tibi obviantes permittens eas tenere sacratissimos pedes tuos cruci affixos, sole clariores, nive candidiores, carbunculo pulchriores, auro digniores, omni unguento et balsamo flagrantiores. O inclite Iesu, gratias ago tibi altissime, quia misisti sanctum angelum tuum de caelo ad tollendum lapidem magnum de sepulchro, ad terrendos custodes impios de loco sancto tuo, ubi quievisti secure, sicut leo fortis in antro suo, ad praeparandum viris et mulieribus liberum

accessum ad monumentum, ad consolandum omnes lugentes te defunctum et sepultum, ad confortandos debiles animos in fide de tua resurrectione haesitantes, ad congaudendum tibi in omnibus bonis de prospero reditu ab inferis et de felici apertione ianuae caelestis. Tantus namque dolor invaserat mentes earum in tua crucifixione, quod omnem fidem et spem perdiderunt de futura tua resurrectione saepius sibi ab ore tuo praedicta. Vnde nec ullam poterant consolationem ab homine mortali recipere, nisi sepulchrum tuum mane visitarent et ab angelo pro certo te resurrexisse audirent et oculis viderent ac manibus suis tuos gloriosos pedes pro signo veritatis tenerent. Quibus patratis post piae salutationis tuae solacium iniunxisti laetae denuntiationis officium omni acceptione et honore dignum multum benivole eas consolans et dulciter alloquendo confortans ac dicens: Nolite timere; ite, nuntiate fratribus meis, ut eant in Galilaeam, ibi me videbunt.

O quam iucunda sunt ista verba ad audiendum, quam dulcia ad cogitandum, quam utilia ad ruminandum et ad saeculares fabulas extinguendum. O quam clari oculi, qui Dominum viderunt, quam purae manus, quae Iesum tetigerunt, quam sancta labia, quae osculum ei im-

presserunt. Quam veloces facti sunt pedes ad ambulandum, quam alacres ad currendum, quam prompta corda ad oboediendum, quam laeta ora ad nuntiandum discipulis, quia surrexit Dominus. Secundum multitudinem dolorum in die parasceues visa Iesu ignominiosa cruce crevit magnitudo gaudiorum in festo paschae audita gloriosa eius resurrectione. Versum est opprobrium Iudaeorum in maximum gaudium apostolorum, et scandalum crucis in remedium aeternae salutis. Conversae sunt lacrimae sanctorum in canticum angelorum, et plagae flagellorum et clavorum in remissionem peccatorum nostrorum.

O dulcissime Iesu Christe, excita etiam cor meum in amorem sancti et benedicti nominis tui super omnes sanctos in caelo et in terra ad memorandum et quaerendum te omni mane diluculo cum Maria Magdalena et sodalibus eius in cordis mei sepulchro, ad moriendum perfecte huic saeculo et adhaerendum tibi devote in silentio et orationis secreto. Remove a me cordis duritiam, corporis pigritiam oculorumque somnolentiam. Infunde compunctionis gratiam, auge devotionis laetitiam ad sancti nominis tui gloriam in hac sacra sollemnitate dignius celebrandam. Suscipe primitias labiorum

meorum in sacrificium laudis perpetuae per manus sanctorum angelorum custodientium sepulchrum tuum cum magna reverentia et honore, ut et ipsi fideliter me custodiant die ac nocte ab omnibus periculis corporis et animae.

Asta et tu mihi, Domine, praecipue orationis tempore, ne evagari incipiam circumspiciendo et vana phantasmata infra divina versando et te neglegendo in loco sancto. Vbi omnimode oportet me cum magna reverentia et advertentia assistere vultui gloriae tuae, tamquam supplex orator raptus ad caelum et quae in mundo sunt oblitus propter te, omnino tibi unitus pro posse corde puro. Quid enim sunt omnia sub caelo nisi vanitas vanitatum? Vere in comparatione caelestium gaudiorum tamquam nihilum ante te omne festum mundi. Da ergo mihi, Deus meus, angelorum decus et gloria, pensare singula verba et sensum psalmorum et aliorum canticorum et hymnorum, qui in ecclesia cantantur et leguntur, quantum praevaleo capere et intellegere in statu fragilitatis meae, donec ad te perveniam lucem veram tenebras meas illuminantem et omnes cives caelestis Ierusalem summe laetificantem. Accipe quoque in hoc sancto magnae festivitatis die pro unguentis

ST. ALBERT'S COLLEGE LIBRARY

boni odoris ex murra et ture compressis crebra et amara oris mei secreta suspiria pro omnibus peccatis et neglegentiis meis verbo, facto et cogitatu commissis, ut iam quasi novus homo in spiritu renatus et albis indutus merear inter devotos tuos candidus et laetus cum humili confessione peccatorum meorum apparere. Deinde etiam offero tibi pro pretiosis aromatibus de balsamo et melle confectis omnia cordis mei pia desideria et omnium devotorum sancta exercitia in laudem sanctae Trinitatis et laetabundae resurrectionis tuae honorem cum cantu angelorum et iubilatione omnium sanctorum in caelestibus choris. Amen.

Oratio ad sanctos angelos, vitae nostrae custodes.

Obsecro vos, o sancti angeli et archangeli, ministri regis superni, candidis vestibus amicti, bonis aeternis repleti, miseremini mei infirmi peccatoris, nunc et in omnibus horis succurrite mihi Dei auxilio peregrinanti in huius mundi exilio. Afferte praesidium indigenti mendico et confortate debilem contra insidias daemonum et passiones vitiorum. Induite me stolis albis; instruite sanctis moribus, fide, spe et cari-

tate Dei; roborate interius, ut proficiam in virtutibus veris flendo cum tristibus et gaudendo cum laetis et de omnibus bonis ad honorem Dei peractis semper gratias agendo, ut sit Deus omnia in omnibus benedictus, laudatus et superexaltatus in saecula. Amen.

[CAPITVLVM III.]

De apparitione Iesu coram Maria Magdalena in specie hortulani.

Benedico et gratias ago tibi, Domine Iesu Christe, omnium rerum conditor et secretorum cordium cognitor, pro tua amicabili apparitione, qua dignatus es beatissimae Mariae Magdalenae, ferventissimae amatrici tuae iuxta monumentum stanti et lacrimanti, in specie hortulani apparere et cum ea familiariter colloqui et multa secreta divinitatis tuae et humanitatis arcana ex speciali gratia ei revelare et de gloriosa resurrectione tua prae cunctis mortalibus eam primitus certificare et post lacrimosas querelas et prolixas inquisitiones amplius laetificare. Laudo et magnifice exalto te pro benivola tua visitatione et dulci allocutione desolatae Mariae Magdalenae ipsam interrogando et sciscitando: Quid ploras et quem quaeris?

O bone Iesu et dulcissime magister, qui omnia nosti ante, quam fiunt, cur interrogas ab ea, quae tibi optime sunt nota? Tu scis, quia nil aliud ipsa quaerit, nil aliud desiderat, quam te solum, quem super omnia veraciter amat. Et quia te non invenit in sepulchro, dolet et plorat, quia perdidit optimum, quod habuit in toto mundo. Quotiens enim te cogitat aut de te loqui audit aut sepulchrum tuum videt aut crucem attendit aut aliquid, quod ad te pertinet, statim movetur cor eius, et plorat, quia amor quiescere nescit, nisi inveniat, quod quaerebat, et habeat, quod amat, et teneat, quod desiderabat.

Noli ergo, Domine, irasci, si coram te plorat hodie in tam magno festo et sancto die paschae; quia hoc amor facit tuus et magna devotio, quam habet ad te, quae non sinebat eam dormire nec quiescere, sed cogebat ante lucem surgere ad ungendum te. Et quia iam non invenit te, plorat et dolet nimis propter te. Tanto amore fervet, tanto desiderio est accensa ad quaerendum te, quod, si volare posset sicut angelus, volaret utique ad te super omnes montes et colles et supra astra caeli, ad quaerendum te in caelo etiam super cherubim et seraphim, ad inveniendum te in regno tuo,

ut videret te sedentem in altissimo Patris tui throno. Sed hoc non est concessum ei in die isto, nec omnibus datum est rapi cum Paulo ad tertium caelum, sed quibus paratum est a Patre tuo et in tempore opportuno a Deo praefinito.

O pie Iesu, consolator tristium animarum, compatere Mariae ploranti, succurre dolenti, loquere amanti. Dic unicum tantum verbum, et sanabitur dolor eius. Dic nomen tuum, Domine, sonet vox tua in auribus eius, et mox reviviscet spiritus eius. Ostende vultum tuum, Iesu speciosissime, et laetabitur anima eius in te suavissime. Voca eam proprio nomine, et statim cessabit flere.

Cur, quaeso, Domine, abscondis faciem tuam a diligente te et tam sollicite te quaerente et acriter plorante pro te? Cur alium te simulas et hortulanum esse fingis, cum tu sis dilectus Dominus et magister eius, Dominus in regendo, magister in docendo? Dic ergo: Ego sum Iesus, quem quaeris, tace et noli flere et sis in pace hac vice.

Sed bone Iesu, quid boni in isto praetendis et quam ob causam protrahis desiderium animae suae? Scio, quia omnia cum providentia agis et disponis, nec aliquem fallis, nec falli poteris, cum sis Deus iustus, pius et verax in omnibus

viis tuis. Ideo autem claritatem vultus tui Mariae plangenti occultasti, ne te agnosceret, ut desiderium cordis eius magis erga te excitares et virtutem patientiae eius probares et ut affligendo et differendo amplius purgares et ad maius gaudium eam post longam tristitiam et lacrimas multas perduceres.

In hoc etiam devotis in tribulatione positis exemplum patientiae et paenitentiae sanctae Mariae pro magno solacio demonstrasti. Quae cum esset multum a te dilecta et magnis donis ornata, fuit tamen in hac vita saepe afflicta, tristata, gravata et ad tempus desolata pro augmento meritorum suorum et ad aliorum profectum Christianorum, sed non penitus derelicta nec despecta.

O quam sapienter et benigne agis, Domine, cum dilectis tuis, sive tribulando sive consolando, donec eos ad te in aeternam requiem caelestis paradisi perducas. Oportet autem variis modis eos per temptationes probari et tamquam aurum in igne tribulationis purgari. Vt ergo apti sint regno Dei et digni visione caelesti frui, debent omnia eis contingentia capere de manu tua pro meliori dono et arra vitae aeternae, quam promisisti animae devotae perseveranti in

fletu et prece, sicut fecit Maria Magdalena coram te hodie.

O quam bonus es, Deus Israel, his, qui recto sunt corde, qui quaerunt te in veritate et humilitate, cum dolore et fletu, sicut Maria quaesivit et invenit. Omne enim, quod laboriose quaeritur et difficulter invenitur, magis diligitur, cum habetur, et cautius custoditur. Post longam esuriem panis sapit dulcius, et post amarum poculum aqua dulcior fit potanti. Post noctem dies gratior est oculis, et post frigus ignis delectat amplius. Post tristia iucundius resonat cithara, et post graves labores suavior est quies et somnus. Post dura bella pax amabilior fit vexatis. Stellae micant clarius nebula cadente; aves cantant laetius sole oriente. Sic anima tribulata renovatur ut aquila Christo adveniente cum gratia. Haec satis patent in dilecta Maria Magdalena, quae post longum fletum a Domino abunde consolata est. O quam magna multitudo dulcedinis tuae, Domine, quam abscondisti timentibus te!

Vere tu es Deus absconditus, sicut ait Isaias, et praeter te non est alius tibi similis sciens tam sapienter omnia disponere cum dilectis. O bone Iesu, aeterna Patris sapientia, quam humiliter et pie inter homines vixisti docens eos

utilia et salubria: terrena despicere, caelestia amare et adversa tolerare.

O dulce colloquium Mariae cum Iesu, salvatore mundi, cum rege angelorum, cum Domino dominorum, cum principe civium supernorum, cum rectore omnium saeculorum. Vere, Domine, si Maria perfecte te cognovisset, numquam hortulanum aestimasset nec quasi ad ignotum dixisset, quid ibi ageres, aut quid quaereres. Domine, inquit, si tu sustulisti eum, dicito mihi. O Maria, quomodo sic loqueris ad eum, quem ignoras, quantae potestatis sit? Vnde tantam fortitudinem habes, ut dicas audacter: Ego eum tollam? Quomodo audes praesumere, talem et tam magnum virum sola portare? Dic mihi, ubi vis eum portare? Quis dedit tibi licentiam tollendi, quod non posuisti? Nescis, quid loqueris. Convoca prius socias tuas et proba, quod dicis, an simul possitis portare, quem quaeritis. Sed forte non potestis, quia fatigatae estis in itinere et multum debilitatae ex ieiunio et fletu heri et hodie non invento sacro Christi corpore. O Maria, si sola es, et aliae recesserunt, quid facies? Roga istum hortulanum, ut te adiuvet quaerere et portare, ubicumque sit dilectus tuus, quem diligis et quaeris et pro quo ploras et

saepe gemis. Nemo melius potest te iuvare et consolari, quam iste hortulanus, nemo melius scit, si dicere velit, ubi Dominus tuus portatus sit vel absconditus. Credo enim, quod ex magna compassione huc ad te venerit, ut indicet tibi, ubi ipse sit, quem quaeris, et quis eum de monumento nocte tulerit.

O magnum desiderium huius sanctae mulieris incessabiliter quaerentis et plorantis! Obsecro, Domine, loquere adhuc semel breviter unum verbum, in quo columba tua vocem tuam audiens te cognoscat et prae gaudio sponsi sui cantet et gemere desistat. Te quaerit, te desiderat; non est contenta de angelis neque de creaturis et quibuscumque solaciis humanis. Loquere, Domine, quia libenter te audit famula tua, devota visitatrix tua. Dic ad eam, sicut ad dilectam hospitariam tuam saepius dicere consuevisti: Maria. Hoc est nomen eius, hoc a nullo libentius audit nominare, quam a te, qui es spes unica eius. Non vult amplius, tu es omnia in omnibus.

O Maria, cognosce Iesum, a quo cognosceris, dilige, a quo prior dilecta es. Responde dilecta dilecto magistro tuo, cordis tui hortulano. Domine rabboni, gratias ago tibi, quia apparuisti mihi. Ecce iam habeo, quem quaesivi, iam

video, pro quo ploravi, et multo melius mihi contigit, quam putavi.

Felix dies, et benedicta hora, in qua, o Maria, post angelicam visionem et allocutionem meruisti videre Dominum angelorum et audire dulcem eius sermonem dicentem tibi: Vade ad fratres meos et dic eis: Ascendo ad Patrem meum et Patrem vestrum, Deum meum et Deum vestrum.

Fecit ergo Maria, sicut praecepit ei Iesus, et statim ivit sine mora, sine querela annuntians discipulis bona nova gaudio plena: Quia vidi Dominum meum post longum maerorem et fletum.

O quam gratae et acceptae erant illae lacrimae ex puro corde et ferventi amore effusae et multo suaviores, quam aromata pretiosa in alabastro ad ungendum parata.

Nunc ergo precor te, misericordissime Iesu Christe, per viscera misericordiae tuae, qui dignatus es visitare et consolari sanctam Mariam Magdalenam in maximo maerore positam, ut facias etiam mecum consimilem misericordiam tuam, cum contristata fuerit anima mea prae taedio et gravata labore corporis et cordis maerore ex aliqua passione mihi contraria, aut ex occulta subtractione gratiae dulcedinis tuae, quacumque ex culpa

mea, tibi melius quam mihi nota, aut etiam mala conscientia urgente cum memoria iudicii futuri undique me terrente propter neglegentiam et tepiditatem cotidianam in multis bonis omissis et vanis curis admixtis. Quaeso, Domine, ne subtrahas manum tuam a me in tribulatione mea, a speranda venia peccatorum meorum, sed propter immensam clementiam tuam, aperi mihi sinum miserationum tuarum, quae a saeculo sunt et in aeternum durabunt super omnes, qui ex toto corde te quaerunt et amare desiderant, ac solita pietate consolationis tuae gratiam, quam summopere desidero, mihi retribue et flexus sanctae Magdalenae precibus et lacrimis post mortem corporis salutarem vultus tui laetitiam mihi ostende. Amen.

[CAPITVLVM IIII.]

De magnis meritis et privilegiis gratiarum beatae Mariae Magdalenae.

Benedico et gratias ago tibi, Domine Iesu Christe, caelestis medice, qui pro animarum nostrarum salute venisti in hunc mundum peccatores salvos facere et per paenitentiam ad te in regnum caelorum pie revocare. Et qui nasci dignatus es de Maria virgine, non

es dedignatus tangi, lavari, tergi, ungi et osculari de Maria peccatrice flente et paenitente. O pie Iesu, fili Dei vivi, misericors salvator mundi, tu multa beneficia et magna gratiarum privilegia beatissimae Mariae Magdalenae in hac vita misericorditer contulisti. Nam saeculi vanitate abiecta et ad te perfecte conversa paenitentiam eius clementer acceptasti, omnia peccata plene ei indulsisti et ab omni poena lacrimantem absolvisti. Magnam contritionem cordi eius inspirasti et, ne desperaret de venia consolationis tuae, gratiam dolenti infudisti; animam eius igne sancti Spiritus accendisti et tui amoris dulcedine intus recreasti, in pace eam ire confidenter iussisti, ad praeterita non redire monuisti, sed in sancta conversatione et intima devotione permanere docuisti. Numquam durum verbum ei locutus fuisti nec minimum quidem peccatum eidem improperasti nec alicui, quid commiserit, revelasti, sed potius excusasti et bona, quae egit, ad exemplum sanctae vitae protulisti. In domo Simonis leprosi invitatus Mariae lacrimis magis es delectatus, quam pharisaei ferculis saturatus. Cum te tangeret, non es indignatus, cum te ungeret, non es aspernatus. Pedes praebuisti, caput inclinasti, osculum non ne-

gasti. Ore eam benedixisti, manu sanctificasti, tactu mundasti, uno brevi verbo aegram sanasti dicens: Fides tua te salvam fecit, vade in pace. O dulce verbum ex ore Dei prolatum, gratia et misericordia plenum, semper cum magna gratitudine recolendum.

In castello Mariae et Marthae sicut ad amicos hospites intrasti, ibi laetus exceptus pernoctasti et quievisti. Ibi cenasti et bibisti, quae tibi apponebantur et discipulis tuis tamquam egenis et mendicis obolos in bursis non habentibus. Ibi nullus tumultus fuit, nullus clamor, nullus iocus, nullus risus, nullus otiosus sermo est auditus. Ibi cum magna reverentia et morum disciplina humilis magister in mensa sedisti, pauper cum pauperibus comedisti. Ibi lector mensae et doctor theologiae tu fuisti et verba aeternae vitae pro vino amicis carissimis propinasti. Ibi Martham ministrantem prudenter docuisti et Mariam suaviter vacantem et ad verba oris tui diligenter auscultantem pie excusasti et altae contemplationis eius vitam digne commendasti sorore eius de otio Mariae conquerente; et Iuda traditore de unguento in te effuso murmurante Mariam iuste defendisti. Ipsa verecunde tacente ad obiecta tu pro ea protinus respondisti

allegando bona, reticendo mala. Lacrimante Maria super Lazaro fratre suo mortuo et sepulto lacrimatus es cum ea afflictis amicis condolendo, ita ut multi dicerent: Ecce quomodo amabat eum. O quam bonae famae et honestae vitae fuit Lazarus iste, quem amabat Iesus, dum viveret, quem suscitavit, cum mortuus esset, cum quo cenavit, cum resuscitatus fuisset.

O pie Iesu, dator et remunerator omnium bonorum, non es oblitus fidelis servitii in castello Mariae et Marthae saepius tibi facti, sed pro exiguis ampliora rependisti beneficia, pro corporalibus spiritualia, pro transitoriis aeterna. Quid ultra dicam? Nemo potest facile dicere nec comprehendere omnia beneficia tua hominibus data neque illa signa et miracula sufficienter excogitare, quae fecisti in Galilaea, in Nazareth, in Bethania, in Ierusalem, in Iudaea et in omni regione terrae sanctae coram omni populo et discipulis tuis in testimonium veritatis ad credendum tibi in omnibus verbis et factis tuis mirabilibus et divinis, quia vere tu es Christus, filius Dei, qui in hunc mundum venisti pro salute hominum. O quam sublimis in caelis, quam humilis in terris, quam pius et humilis hominibus eos sanando, quam

durus et terribilis daemonibus eos expellendo. O quam misericors paenitentibus, quam severus malignantibus, quam compassivus afflictis, quam benivolus egentibus, quam consolativus maerentibus. Quis in omnibus tam fidelis amicus, tam potens adiutor in necessitatibus cunctis, sicut tu Deus noster? O quam magnum gaudium fecisti sororibus istis, quando clamasti: Lazare, veni foras. Et statim prodiit, qui fuerat mortuus, tibi oboediens, dominatori vitae et mortis. Deinde discipulis tuis tamquam vicariis tuis animarum rectoribus dixisti: Solvite eum et sinite abire.

Vtinam, Domine, et me absolvere digneris ab omnibus peccatorum meorum vinculis, ut possim secure mori et ad te laetanter pervenire et cum angelis sanctis et Maria et Martha semper te laudare et numquam de cetero peccare. Amen.

[CAPITVLVM V.]

De magna compunctione sanctae Mariae Magdalenae in passione Domini.

Laus aeterna tibi sit et gloria, o dulcissime Iesu Christe, pro maxima sanctitate Mariae Magdalenae et devota eius lamentatione in tua sacratissima et acerbissima passione, cui non suffecit

tantum obsequi tibi in vita tua et sequi te per vicos et castella ad videndum signa tua et miracula, quae fecisti virtute divina omni laude et honore digna, sed etiam te secuta est constanter et lamentanter in passione tua usque ad mortem crucis cum sancta Maria matre tua et cum multis aliis devotis sanctis mulieribus condolentibus tibi et amarissime flentibus in via de tua innocenti morte et gravissima cruce. Igitur quamdiu videre te poterat, sequebatur crucem plorando, gemendo, condolendo, vestigia pedum tuorum considerando, manus suas comprimendo, pectus tundendo, faciem suam uberrimis lacrimis rigando et oculos abstergendo. Quia nil carius facere, nil melius aestimabat posse adiuvare, quam intime condolere et tota die ac nocte amarissime flere ac dolores tuos incessanter recogitare. Omnia siquidem vulnera tua sicut sua reputavit et, quo amplius te dilexit, eo vehementius condoluit et flevit. Cumque te nudum cruci affixum cerneret, stabat iuxta crucem cum matre tua, quanto propius accedere audebat, et multiplici dolore intus afflicta pro nulla re mundi a cruce recedebat, sed usque ad mortem tibi et matri tuae fidelissime adhaerebat. Videns autem te mori in cruce cum magno clamore, anima

eius prae nimio dolore compatiendo deficiebat. Cibus et potus ab ore eius recessit. Somnus ab oculis evanuit. Flere tantum libuit, et diutius vivere sine te in mundo amarissimum videbatur. Nisi ergo voluntati tuae ex toto se subiecisset, vix patienter manere in carne post exitum tuum potuisset. Indicant crebra eius lamenta, quia sine praesentia tua nulla res ei fuit iucunda in hac vita.

Sed, o Maria, sustine te adhuc parum hac vice in tanta necessitate cum matre Iesu et sororibus eius propter amorem dilecti tui pendentis in cruce. Noli matrem deserere, noli a latere tristissimae virginis matris Iesu recedere, quasi non posses amplius tam magnum planctum videre et ululatum audire. Dole cum dolentibus, plora cum plorantibus, ut possis gaudere cum gaudentibus in gloria resurgentis.

O bone et amantissime Iesu, fecit Maria, sicut tu inspirasti, sicut tu praedixisti et iussisti, ut usque in sepulturam corporis tui unguentum reservaret, quod remanserat. Non est oblita sermonis tui nec vendidit illud, ut Iudas suasit, sed in alabastro custodivit et plura adhuc emit et tibi praeparavit. Vere in necessitate probatur amicus, et probatio dilectionis exhibitio est operis. Igitur

haec sancta fidelissima Maria, sicut dilexit te in vita, ita ostendit factis in morte tua et in sepultura cum magna lamentatione et diligenti cura. Nil eorum omisit, quae ad officium sepulturae sacri corporis tui pertinebant, involvendo, ungendo, tegendo, ligando, consuendo linteamina et sudarium ad decentem ornatum sacro capiti tuo reverenter imponendo. Inter haec assidue flevit et pro solacio habuit, quia tibi assistere et matri tuae cum ceteris obsequentibus adesse promeruit et omnia circa te recte fieri vidit. Sepulto ergo sanctissimo corpore tuo et sub firmo signaculo clauso ortus est novus dolor et planctus, quasi de cetero non deberet te in hac luce videre, cum quo prius habuit tam magnam societatem spiritualis vitae et laetitiae. Nec tamen clauso monumento statim recedere potuit a loco, in quo thesaurus mundi iacuit absconditus, sed usque ad occasum solis sedebat cum multis devotis mulieribus lamentando, donec deficerent lacrimae in eis cum gemitibus amorosis ex intimo corde profusis, sicut scriptum est de eis: Mulieres sedentes ad monumentum lamentabantur flentes Dominum.

O quis mihi det talem habere compassionem in meditando sacram passionem tuam, Domine mi Iesu Christe,

qualem habuit devotissima Maria Magdalena in die parasceues, quando te vidit crucifigi, mori atque sepeliri et quasi ab omnibus contemni, derideri et vituperari. Sed gratias tibi, patientissime Iesu, non diu permansit hic falsus rumor de te dictus, sed post tres dies vicisti et confudisti hostes tuos resurgendo liber a mortuis. Vere, Domine, impletum est verbum tuum, quod de Maria Magdalena coram discipulis tuis in laudem benefactorum ipsius praedixisti: Amen dico vobis, ubicumque praedicatum fuerit hoc evangelium in toto mundo, dicetur et quod haec fecit in memoriam eius. Vere impleta est ex odore unguenti eius tota domus tua, id est, universa ecclesia fidelium, per orbem terarum late diffusa, apostolicis doctrinis clare imbuta divinaque veritate firmata. Nam fama magnae sanctitatis eius per apostolos et evangelistas est descripta et consequenter per praedicatores et doctores aperte divulgata. Celebratur insuper et honoratur per singulos annos gloriosa festivitas eius praecipua devotione in sancta ecclesia ab omni clero et utriusque sexus populo, in qua felicissima anima eius emigravit ex hoc saeculo ad te, Dominum nostrum Iesum Christum, in aeterna tabernacula tua. Amen.

[CAPITVLVM VI.]

De laeta et pia apparitione Christi coram matre sua in secreto cubiculo clausa.

Benedico et gratias ago tibi, Domine Iesu Christe, fili Dei unigenite, ex Maria virgine pro nostra salute incarnate et nate, pro tua gloriosa et verissima resurrectione hodierna die facta et praecipue pro tua laetissima et secretissima apparitione, qua dignatus es sanctissimae matri tuae Mariae in secreto cubiculo domus suae oranti et adventum tuum multum desideranter et fiducialiter iam expectanti primitus ante omnes sanctos amicos tuos et sanctas mulieres tibi familiares et dilectas benignissime apparere, reverentissime salutare ac dulcissime consolari et confortare et de tua corporali praesentia in stola iucunditatis et immortalitatis gloria plenissime laetificare.

Hoc enim pium et iustum est de tua pietate sentire et pro sanctissimae matris tuae honore credere, qui in omnibus operibus tuis pius et misericors es. Hoc etiam ab omnibus fidelibus pie credendum est, qui praecepisti parentes honorare et tristes consolari, quod prior omnium sanctissimam matrem tuam de

passione tua tristissimam ante omnes visitasti et tua praesentia ab omni dolore et tristitia recreasti ac summe laetificasti.

Et quamvis cum aliis devotis mulieribus ad visitandum sepulchrum tuum non transivit, non hoc ex tepore aut timore vel prae nimio dolore omisit, sed certissime te resurrecturum sciens et firmissime tertia die ad se venturum sperans domi remansit et orationibus sanctis interim vacans adventum tuum desiderio magno expectavit. Et ideo primo videre te meruit, quem prae omnibus amavit et desideravit, in quem credidit et in nullo dubitavit. Si enim beata dicta est Maria et laudata, quae angeli Gabrielis verbis credidit, quando ei sacrum incarnationis mysterium nuntiavit, quam maxime beatificanda atque laudanda est, quae tibi filio suo ex se nato in omnibus operibus tuis credidit et aliis adhuc dubitantibus firmiter stetit et in nulla re vacillavit.

O quam ineffabili gaudio repleta est in illa hora sancta Maria mater tua, quando te filium suum in splendore candido et glorioso corpore super solis claritatem et omnium stellarum pulchritudinem vidit adornatum. O quam maxime et cordialiter exultavit spiritus eius in te, Iesu, Deo, salutari suo, prae om-

nibus diebus vitae suae in hoc mundo. O quam diligenter gloriosum corpus tuum oculis suis aspexit, quod antea heu saevis flagellis duriter caesum doluit et ligno crucis affigi ac lancea militis in dextro latere a Longino perforari vidit, et tandem mortuum et in sepulchro clausum iacuit. Ideoque merito hodie te apparente in gloria Maria solito laetior facta est et novis consolationibus repleta, quae in passione prae ceteris acrius doluit et uberius flevit et multos secum ad lacrimandum commovit. Tunc implesti verbum tuum, Domine, quod in cena apostolis tuis pro solacio promisisti et in matre tua afflicta veraciter ostendisti dicens: Non relinquam vos orphanos, veniam ad vos et videbo vos, et gaudebit cor vestrum, et gaudium vestrum nemo tollet a vobis.

Bene fecisti, optime Iesu, dilectissimam matrem tuam filialiter visitando, reverenter salutando, dulciter alloquendo, cordialiter consolando, laetam faciem ei ostendendo et omnem tristitiam atque lacrimas dolorosas ab oculis eius auferendo. Nam te solo viso fugit omnis dolor et gemitus, te loquente ad cor eius requievit in ea spiritus paraclitus plus quam in apostolis inebrians laetitia omnia interiora eius. Et qui olim in nuptiis

ipsa hortante aquam convertisti in optimum vinum, nunc te revertente ab inferis et hostibus devictis maiori potentia et miraculo mutasti mortem in vitam, crucem in gloriam, maternum fletum in iubilum et discipulorum metum in gaudium sempiternum.

Non misisti angelum, non archangelum, non Michaelem, non Gabrielem, non Raphaelem, sollemnes nuntios tuos, nec aliquos saeculi milites nobiles, decoros forma, amictos auro et argento ac gemmis pretiosis ad visitandum matrem tuam, caeli reginam, dilectam dominam nostram, sed tu ipse rex gloriae, Iesu Christe, venisti personaliter mane ante lucem, nemine homine adhuc sciente nec nuntio praecurrente ad visitandum et consolandum beatissimam matrem tuam orationi instantem et plena fide reditum tuum a monumento cum glorioso corpore praestolantem. Sciebat enim, quoniam omnia ita impleri oportebat, sicut ore tuo prius dixisti, et longo tempore ante sancti prophetae de tua passione et resurrectione sunt locuti. Vere haec est dies laetitiae, quam fecisti hodie, praeclarior et celebrior, sanctior et laetior prae cunctis diebus anni in numero sanctorum dierum recte dignissimeque computanda.

Laudo et honorifico te cum omnibus sanctis tuis in caelo et cum omnibus devotis fidelibus in mundo pro dulci colloquio et secreta collatione, quam habuisti cum dilectissima sancta matre tua Maria in camera eius ab omni saeculi strepitu clausa conferens cum ea divina mysteria de regno Dei, de paradisi gaudiis, de angelorum choris, de animabus sanctis ab inferno redemptis et in paradisi amoenitate cum Enoch et Elia locatis.

O utinam ibi affuissem et dulcia verba tua audissem et prope fenestram secrete stetissem et diligenter auscultassem ad singula verba, quae Dominus meus Iesus Christus loquebatur cum matre sua de caelestibus supernorum civium tripudiis nullo extraneo homine percipiente. O quanto gaudio exultasset cor meum in Domino, si modicum verbum inde retinere potuissem pro solacio meo in huius mundi periculoso exilio. Et forte talia fuerunt, quae non licet homini loqui, sed in secreto debent servari et in cordis iubilo meditari. Beatus, qui scit hanc iubilationem et omnia temporalia per contemplationem transcendit et cum Iesu et Maria tota die se occupat et, quidquid in mundo agitur, non curat nec pensat. Aestimo, quod nemo mortalium dignus fuit huic colloquio interesse, sed solum-

modo sancti angeli et animae iustorum, qui sequebantur Dominum suum, cum omni reverentia et laetitia ubique locorum. Et forte tam alta et caelestis erat ista collatio et dulcissima visitatio in materna domuncula, quod nec apostoli tunc temporis intrare permissi sunt nec capere potuissent mirifica oracula, quae illa hora tractabat Iesus glorificatus a patre cum benedicta matre sua Maria gratia plena. Ideo et ego haec omnia melius sanctis angelis et tibi, Domine Iesu, committo et veniam humiliter de omnibus peccatis et neglegentiis meis peto, qui parvulis secreta tua aperis et caelesti pane aridos pascis.

O benignissime Iesu Christe, qui post amaram passionem tuam et laetam resurrectionem sanctissimae matri tuae Mariae cum magna claritate serenus laetusque apparuisti et desolatam ac tristem ineffabili et novo gaudio adimplesti, miserere mei pauperis mendici et infirmi in huius mundi exilio graviter saepe tribulati.

En coram te hodie basse me prosterno et ostium piae matris tuae ingenti affectu sedule pulso et exoro, ut etiam me digneris in tempore afflictionis meae intime visitare, consolari et confortare et ab omni mala tristitia et vana laetitia liberare.

Nunc ergo novo fervore et maiori devotione laudis tuae cor meum accende et conserva, ut abiecta omni vanitate terrena discam superna quaerere et cum Maria aeterna sapere, divina contemplari et in te solo exultare. O quis mihi exiguo det ista intentius cogitare et diutius hic cum Domino Iesu commorari, ut totus mundus cum suis amatoribus mihi amarescat et a memoria mea citius evanescat.

O utinam, dulcissime Iesu, cum dulcissima Maria matre tua et angelis sanctis tuis mihi prae omnibus placeas et in-dulcescas, cor meum intus accendas, saepius visites, copiosius benedicas, in devotione custodias et ad caelestia gaudia post huius vitae gravamina ad te secure perducas. Qui vivis etc.

[CAPITVLVM VII.]

De apparitione Christi coram sancto Petro in secreto et de cursu eius cum sancto Iohanne.

Benedico et gratias ago tibi, Domine Iesu Christe, summe pastor sanctae ecclesiae et fidelis pontifex ad Deum pro nobis, pro tua maxima pietate et ineffabili misericordia, quam beatissimo Petro apostolo tuo variis modis exhibuisti,

et pro divinis verbis, quae cum eo habuisti, et pro secretis visionibus, quas sibi saepius ostendisti. Nam ipsum prae ceteris apostolis in principem et pastorem animarum fidelium elegisti et cunctis praeposuisti et post transitum tuum ex hoc mundo ad Patrem caelestem ipsum pro te vicarium et caeli clavigerum reliquisti.

Nec tamen a tua dilectione post trinam negationem eum abiecisti, sed statim per respectum gratiae tuae ad amarissimum fletum cor eius reduxisti et omnem offensam in te commissam misericorditer sibi et plene indulsisti atque in pristinum gradum et pontificatus honorem post gravem lapsum clementer restituisti, o fons misericordiarum et inexhauribilis torrens caelestium donorum in paenitentibus et flentibus pro peccatis commissis, o piissime largitor veniae et dator caelestis gratiae, o dulcis et dilecte Domine Iesu Christe, in omnibus sanctis et amicis tuis ab aeterno electis, qui non cessas benefacere et effluere in omnes ad te currentes et ex toto corde paenitentes et veniam humiliter postulantes.

Laudo et praecipue honorifico te pro tua maxima benivolentia, quia hodie vere apparuisti sancto Petro, dilecto apo-

stolo tuo, in secreto aliquo loco tibi melius quam mihi noto pro speciali eius solacio sibi tunc valde necessario. Qui enim plus offenderat, plus indiguit consolari et adiuvari. Nullus melior consolator nec potentior animae curator, quam tu, Iesu, creator noster et salvator.

Gratias ergo tibi refero, benignissime Iesu Christe, omnium tribulatorum et lapsorum cognitor et reformator, qui erranti oviculae Petro tempestive subvenisti, ne nimio dolore afflictus desperaret de venia aut de tua resurrectione dubitaret non invento sacro corpore tuo in sepulchro.

Ideo sicut pius et prudens animarum afflictarum medicus misisti sanctum angelum tuum ad consolandum et reducendum Petrum in spem veniae, qui dulcibus verbis alloquens feminas iussit Petro dicere: Cito, inquit, euntes dicite discipulis eius et Petro, quia surrexit Iesus.

O bone, sancte angele, quam bene et recte specialiter Petrum nominasti consueto nomine a Domino sibi primitus imposito in apostolica vocatione et dignitate, ne desperaret ex trina dilecti Domini et magistri sui negatione. Nam audiens ab angelo se nominari et per sanctas mulieres amicabiliter salutari

factus est hilarior mente et arrepta nova fiducia cucurrit velociter cum Iohanne ad locum sepulturae oblitus omnis laboris et tristitiae. Cumque vidisset omnia sic gesta a Domino, sicut audivit dici a mulieribus et ab angelo sancto, qui non mentitur, sed est testis veritatis et fidelis nuntius peractae resurrectionis, statim revixit in eo spiritus vitae et firma spes aeternae salutis.

Multa igitur intra se admirans et Domino congratulans cum magno desiderio optavit etiam suum Dominum videre et sibi apparere, sicut apparuit primo Mariae Magdalenae. Sit illa prima inter mulieres, sim ego secundus vel tertius inter viros aut ultimus inter apostolos et discipulos eius. Attamen, quod sibi bonum videtur et rectum, fiat mihi secundum beneplacitum suum pro animae meae salute. Desidero cordialiter Dominum meum videre et sibi perfecte reconciliari et verbis oris eius consolari. Veniant mihi, Domine, miserationes tuae, et vivam et de me ipso amplius non praesumam. Memento, quaeso, omnis mansuetudinis tuae et sanctae orationis, quam pro me Patri obtulisti et pro peccatoribus in cruce rogasti. Veni, bone Iesu, et noli tardare. Tu spes mea et tota salus animae meae. Ostende te mihi,

et salvus ero, ac laetior gaudebo te viso in hoc sancto die paschae.

Et factum est ita Iesu piis votis dilecti Petri apostoli annuente. Nam pius et misericors Iesus mox affuit quaerenti se et festine currenti post se. Ideoque flentem recepit ad veniam gratiose delens omnem offensam contra se timide factam nocte. Insuper cautius eum informans fortius accendit in sui sancti nominis confessionem et perpetuum amorem.

O immensa Christi pietas omni prosequenda laude, caelesti dulcedine plena cunctisque fidelibus nuntianda per saecula, ne quis lapsus desperet de venia nec sanus factus praesumat temere de gratia caelitus sibi data.

O magnum misericordiae signum in sancto Petro hodie manifeste a Domino declaratum, unde exultant angeli, laetantur archangeli, respirant perditi, excitantur torpidi, collaudant omnes fideles populi Deum de magna misericordia Domini et de indulgentia beatissimi Petri in fide Christi perfecte confirmati.

O quam pium et amicabile colloquium habuit tunc Iesus cum Petro in osculo pacis recepto, et quam laetum et pacatum fuit interim cor eius in visione et allocutione resurgentis Christi, amantissimi Domini sui.

O dilecte sancte Petre, venerande apostole et electe patrone sanctae Romanae ecclesiae, memor esto huius diei et magnae festivitatis paschae, in qua reconciliatus es Domino et ab omni peccato absolutus Spiritus sancti dono.

Et nunc memento mei pauperis et indigni peccatoris apud benignum Iesum in tempore afflictionis et desolationis meae atque post huius mundi flebile exilium fer mihi exituro de corpore fidele auxilium et securum praebe conductum ad caelum. Aperi mihi portam paradisi per passionem et mortem Christi omnibus paenitentibus promissam usque in finem saeculi. Custodi me a laqueis hostis antiqui, eripe orantem a poenis et tenebris inferni. Tibi enim dedit Deus omnia regna mundi et claves caeli ad aperiendum pulsantibus ianuam vitae, qui ex toto corde paenitent in fine et convertunt se ad Deum plena fide. Exaudi me, o beatissime Petre, pie pastor ecclesiae et gloriose princeps orbis terrae, ut discam peccata mea digne flere et per te veniam a Domino Iesu valeam obtinere. Amen.

[CAPITVLVM VIII.]

Oratio ad impetrandam a Deo gratiam lacrimarum.

Convertere, anima mea, ad Dominum Deum tuum in toto corde tuo, in fletu et planctu et ora pro remissione omnium peccatorum tuorum et omissione multorum bonorum operum et temporum tibi datorum a prima die et hora vitae tuae usque in praesentem diem et horam a Deo tibi concessam. Multum enim placet Deo humilis oratio et cordis contritio, fletus et gemitus pro cotidianis defectibus et pro omnibus tribulatis, temptatis et oneratis. Sanctum et pium opus est orare Deum pro se ipso et pro proximo, quia nullus sine peccato, nullus sine periculo in hoc mundo. Pax vera et aeterna quies solum in caelo, luctus et tristitia frequens in hoc exilio, ignis semper ardens et poena perpetua in inferno.

Ad te ergo, Domine Deus, oro et orabo corde, voce et opere pro omni malo commisso in omni eventu et defectu mihi occurrente. Suscipe gemitum meum cum pura intentione et plena voluntate me iam emendandi cum propria resignatione mei ipsius et omnium rerum alienatione, ut possim modo gratiam tuam

et veniam omnium peccatorum in hac peregrinatione promereri per merita et orationes sanctissimae matris tuae Mariae et omnium sanctorum tuorum, qui saepissime fleverunt pro se et aliis multis in hac valle lacrimarum utiliter et fructuose ex caritate. O quis mihi tribuat imitari horum exempla sanctorum et vitare otiosa colloquia saecularium rumorum et consortia ridiculorum ac levium verborum?

Oravit Iesus in monte, vigilavit in nocte, flevit saepe, numquam risit vane nec dixit verbum leve. Accusatus tacuit coram praeside, locutus est submisse, respondit impiis benigne.

Oravit etiam Maria mater Iesu saepissime, flevit in passione eius amarissime, doluit gravissime, sustinuit mitissime, stetit foris verecunde, mansit intus secure.

In via fuit custodita, in domo quieta. Visitavit Elisabeth sanctam cognatam suam, salutavit humilem et devotam, servivit, oboedivit, benedixit ei et valedixit. Rediit in Nazareth celerrime completo opere misericordiae in Iohannis nativitate. Loquente Iesu verbum Dei ad turbas Maria advertit diligenter, audivit valde libenter, intellexit sapienter, retinuit firmiter, recogitavit frequenter,

eructavit suaviter, gratias egit Deo in omnibus excellenter.

Flevit etiam Maria Magdalena ex contritione peccatorum amarissime, ex devotione beneficiorum suavissime, ex compassione dolorum Christi largissime, ex contemplatione caelestium gaudiorum ardentissime.

Flevit etiam sanctus Petrus maximo dolore ex recordatione negationis praeteritae et ex auditu vocis galli cantantis ter in nocte. Ex subita enim locutione fragilitatis suae crevit longa lamentatio culpae et magna compassio fraternae miseriae. O beatae lacrimae, quae terserunt repente omnes maculas culpae.

Flevit etiam sanctus Paulus acerrime propter pristinum errorem suum in persecutione sanctae ecclesiae et propter aliorum excessus atque lapsus ad ritus et mores perfidorum cupiens omnes convertere ad veram fidem et contritionem peccatorum et ad sanctae conversationis trahere fervorem et omnium virtutum in Christo perseverantiam.

Flevit etiam sanctus Iohannes apostolus amarissime in Christi passione cum Maria matre Iesu sub cruce incessanter ei condolendo et assistendo. Flevit etiam pro multorum erroribus et a fervore caritatis tepefactis et pro quodam iuvene per

epulas decepto et iterum per multas lacrimas revocato et purgato.

Flevit etiam sanctus pater noster Augustinus acerbissime pro malis praeteritis in saeculo gestis, sicut confitetur humiliter in suis scriptis, dans exemplum omnibus ad Deum conversis praeterita mala in confessione donata cum maerore replicare pro maiore humilitate servanda; et de cetero commissa Deo iuvante numquam iterare, sed pro omnibus cotidie gemere, flere et orare. Flevit idem sanctus et devotus pater uberrime in hymnis, psalmis et canticis divinis in ecclesia recitatis et tanto ardentius ad superna rapiebatur, quanto citius mentem ab omnibus infimis rebus avertit. Nam et aliorum adversitatem plangere et saluti eorum congaudere perpetui moris ei erat et caritatis melle condire afflictos et egenis subvenire.

Sunt et alia quam plura exempla sanctorum virorum ac mulierum devotarum, qui specialem gratiam habuerunt a Deo in effusione sanctarum lacrimarum.

[CAPITVLVM VIIII.]

De utilitate et gratia sanctarum lacrimarum.

Sanctae et devotae lacrimae reprimunt carnis impetum, extinguunt iras litium, lavant gulae vitium, tollunt superbiam oculorum, vitant vaniloquium, quaerunt secretum, diligunt silentium, orationis impetrant fructum. Fugant corporis otium animae nocivum, necant mendacium, iocum et risum. Pensant mortis horam, iudicii horrorem, inferni dolorem. Minuunt purgatorium, augent vitae meritum, frangunt diaboli laqueum, vincunt mundi strepitum, perducunt flentem ad regnum caelorum. Delent mala praeterita, recuperant bona amissa. Docent cavere pericula, manere in cella, legere in codice, scribere bene, orare saepe. Conservant compunctum in gratia, laetificant devotum de aeterna gloria.

O quis mihi tribuat hanc gratiam lacrimarum creberrime sentire, cautius custodire et perditam paenitendo iterum requirere et quaerendo citius invenire?

Qui cupit hoc donum habere et tenere, debet mala sua stricte inspicere et de bonis Deo intime regratiari atque pro funde se humiliare. Laboriosum est istud et dolorosum, sed tamen valde fructuosum

facienti et in fine iucundum morienti. Beati ergo, qui nunc saepe compuncti lugent, quoniam in futuro cum angelis perpetuo consolati gaudebunt.

[CAPITVLVM X.]

De lacrimis Iesu super Lazarum.

piae et sanctae lacrimae Domini mei Iesu Christi in morte et suscitatione Lazari ex compassione cum Maria et Martha et aliis eorum amicis et flentibus Iudaeis amorose et largiter effusae, subvenite mihi in ariditate cordis mei, commovete duritiam pectoris mei praecipue in loco et in tempore orationis et meditationis ad lacrimandum peccata mea et ad purgandum omnia inquinamenta cordis, oris et operis tacite vel aperte commissa, quia paenitent me valde. Doleo enim super his, Domine, die ac nocte mane et vespere, quotiens recordatus fuero malorum meorum et beneficiorum tuorum, quae mihi et omni generi humano misericorditer ac multipliciter impendisti. Amen.

De lacrimis Iesu super Ierusalem.

O piae et sanctae lacrimae Domini mei Iesu Christi ex magna compassione super eversionem et destructio-

nem perfidae civitatis Ierusalem madentibus oculis late effusae, etsi incredulis non proficuae, mihi tamen et omnibus credentibus ac devotis multum gratae et amandae.

Peto ergo ego piger et miser homo, cadite super me abunde et lavate clare faciem animae meae ab omni peccatorum sorde multis malis inquinatum in tota vita mea, ut purificatus intus dignus efficiar videre speciosum vultum Patris cum angelis sanctis in caelis. O utinam intercedentibus omnibus sanctis pro me post huius vitae tristitiam merear invenire magnam misericordiam apud iustum iudicem Dominum meum Iesum Christum et per eius sacram passionem et mortem etiam post generalem mortuorum resurrectionem introduci cum electis in caelestem Ierusalem. Amen.

De lacrimis beatae Mariae virginis iuxta crucem.

O piae, sanctae et nimis dolorosae lacrimae beatae et intemeratae semper virginis Mariae, quae effluxistis ab oculis eius in die parasceues ex intima compassione visa Christi amarissima passione et cruce, o quam saepe per genas et pectus eius usque in oram vestimenti eius decurristis et sanctum velum

sacri capitis eius uberrime irrigastis atque cadendo super sanctos pedes eius pulverem terrae humectastis. O si tunc post vestigia pedum dominae meae transissem et calidas lacrimas sanctorum oculorum eius manu mea in secreto vasculo collegissem ad lavandum non tantum pedes meos, quos saepius maculavi per malas cogitationes et affectiones indecentes, sed et manus et caput, id est verba et opera male facta, in remissionem omnium peccatorum meorum cotidie commissorum.

O pia mater Dei, virgo Maria, sis mihi propitia, dele omnia vitia mea per tua amarissima lamenta et devotissima suffragia. O carissima Maria, succurre animae meae in ultima hora vitae meae et veni cum angelorum et sanctorum multitudine defendere me contra inimici terrores et inferni dolores. Recordare pretiosi sanguinis et innocentis mortis dilecti filii tui Iesu Christi pro me peccatore passi et lancea perforati et omnium lacrimarum tuarum, quas in omni vita tua fudisti, et miserere mihi in extremis agenti et ad te suspiranti, quia in tuis meritis et sanctorum precibus maxime confido, o clemens, o pia, o dulcissima mater Dei, virgo Maria. Amen.

De lavacro animae ex multis lacrimis beatae Mariae Magdalenae et aliorum sanctorum.

Quotiens lacrimas Christi penso et aliorum sanctorum fletus et gemitus mente revolvo, merito in memet ipso tacite confundor et valde coram Deo erubesco et multis plagis et increpationibus dignum me iudico et stupesco, quia ulcerosus sum et non lugeo, percussus et non doleo, scabiosus et non gemo, inquinatus et non abluo, intoxicatus et medicinam non adhibeo, debilis et infirmus et medicum salutis tempestive non requiro.

Vae mihi, quia ex verbis et factis Iesu non tam cito moveor ad fletum sicut ex fabulis hominum ad risum. Nam cotidie pecco et fere omni momento in aliquo excedo et quod, facere teneor, non perficio, et tamen rideo.

Vae mihi, quia cum Maria Magdalena ad pedes Iesu non procido et ex dolore cordis non ploro, ut veniam merear cum illa. O Maria, memento mei etiam in hac hora et ora pro me Iesum pia supplicatione, quamdiu vivo in corpore fragili et in multis delinquo.

Vae mihi, quia non ploro cum sancto Petro in choro vel in loco secreto

audiens gallum cantare in publico aut aliquas aves in campo monentes me cito surgere de lectulo et orare pro omnibus peccatis et neglegentiis meis die ac nocte contractis in mundo.

Vae mihi, quia cum beato Paulo non continue contristor et ploro de multis malis meis scienter vel ignoranter gestis, pro quibus deberem merito semper dolere, gemere et orare et omnia adversa et gravamina obviantia mihi patienter et pie sustinere.

Vae mihi, quia puritatem sancti Iohannis apostoli non habeo nec consequi valeo; nec tamen de impuritate mea tantum doleo, quantum ille de aliorum peccatis doluit et flevit.

O sancte Iohannes, dilecte apostole Christi et fidelissime custos beatae Mariae semper virginis, obsecro te humili voce et compuncto corde, asta mihi in vita ista laboriosa et in morte periculosa cum Maria, matre Iesu, et angelis sanctis; sicut astitisti beatissimae matri virgini dolenti et valde lacrimanti sub cruce, ne praevaleat contra me hostis malignus in agone, ut sim fortis in fide et confidens in Christi passione et sanctorum meritis et precibus, et non in me ipso. Subveniant mihi in extrema necessitate mea devotae preces tuae et praecipue omnes

sanctae et amarissimae illae lacrimae, quas in passione Christi pluriens effudisti ex vehementi compassione cum fletibus et gemitibus dolorosis matris Iesu et eiulatibus Mariae Magdalenae et cum omnium condiscipulorum et sanctarum feminarum lamentis immensis in terram prolapsis, quae non in vacuum coram Deo fluxere, sed vere toti mundo et mihi maxime profuerunt et adhuc prosunt et docent me flere et condolere et passionem Domini mei Iesu Christi cotidie memorari et pro peccatis meis saepe gemere et incessanter orare.

O pie Iesu, utinam possem omnes lacrimas tuas et sanctae matris tuae Mariae et beatissimae Magdalenae devotissimae lamentatricis passionis tuae omniumque sanctorum et sanctarum, omnium devotorum et devotarum, famulorum famularumque tuarum in unum magnum et firmum dolium congregare et igne sancti Spiritus calefacere et in eo animam meam proicere et balneare et omnes maculas peccatorum meorum praeteritorum et cotidianorum dolendo ac seriose flendo abluere, mundare, detergere et candidare et quasi in lavacro baptismi et in Iordanis flumine denuo renasci, renovari et recreari, quatenus ab omnibus delictis et offensis sanctorum precibus

et fletibus ad purum lotus et purgatus in conspectu tuo misericordiam et gratiam merear iam vivens invenire ac moriens aeternam cum sanctis tuis gloriam valeam obtinere. Per te, Iesu Christe, qui cum Patre etc.

[CAPITVLVM XI.]

De apparitione Christi in specie peregrini coram duobus discipulis euntibus in Emaus.

Benedico et gratias ago tibi, Domine Iesu Christe, via, veritas et vita, salus et redemptio nostra, pro tua benigna apparitione in specie peregrini coram duobus discipulis tuis in via ambulantibus habitum ignoti viatoris assumendo, ut ad caelestem Ierusalem oves errantes reduceres atque pie visitando perfecte instrueres.

O quam amicabiliter te eis in via iunxisti, qui de tua passione multum tristabantur et de bonis actibus et sanctis verbis ac miraculis tuis loquebantur, non de bellis et nugis saeculi huius. Sed quia de resurrectione tua iam facta adhuc dubitabant et de aliorum narratione et angelorum visione nil certi tenebant, ideo, donec clarior veritas eis innotesceret, multum tristabantur.

Et quis melius eos doceret et de dubiis suis certificaret, nisi tu, Iesu, magister bone, via, veritas et vita, aperte te eis ostendendo et signum notissimum eis dares panem frangendo? Et factum est ita. Nam mox te appropinquante et comitante cum eis quasi peregrinus et inscius interrogasti ab eis causam tantae tristitiae, quid eis obesset, dicens: Qui sunt hi sermones, quos confertis adinvicem ambulantes et estis tristes?

Laudo ergo te et magnifice glorifico dulce nomen tuum pro tam familiari colloquio tuo cum istis duobus discipulis itinerantibus valde tristibus corde et perplexis de omnibus gestis tuis in passione et mortis damnatione consolando eos et instruendo optime rationibus et auctoritatibus sacrae scripturae in lege, psalmis et prophetis de te vere contentis.

Laudo et regratior tibi, dignissime Iesu, pro singulis verbis ibi tractatis et a te expositis et lucide declaratis, quae prius obscura erant et figuris variis involuta et paucis aperta. Benedico te, sancte sanctorum, sanctissime Iesu Christe, doctor doctorum ac magister omnium legum et decretorum, qui olim aperuisti ora prophetarum et nunc per temet ipsum dignatus es reserare abscondita scripturarum parvulis et indoctis ad credendum

tibi in omnibus verbis et factis tuis. O quanto gaudio repleta sunt ora eorum te loquente, quantoque amore corda accensa frigidorum te explicante velamenta eloquiorum divinorum, quia non est tibi similis in legislatoribus et interpretatoribus mysteriorum. O quam levem fecisti eis viam illam, quam laetam horam, quam iucundum diem usque ad vesperam, donec intrares cum eis hospitium, et pararent tibi mensam. O quam seriose rogabant te ad cenandum secum cupientes multa adhuc ampliora audire a te per totam noctem.

Quare? Quia numquam locutus est tam egregie homo super terram, sicut loquitur iste peregrinus. Nullus propheta nec rex nec sacerdos nec levita nec aliquis ex filiis et discipulis prophetarum, qui mira fecerunt et divina docuerunt, nullus sanctorum, immo nec omnes chori angelorum, o peregrine, tibi comparari possunt in docendo. Et ideo rogamus te: Mane nobiscum, Domine. Tarde est, noli longius abire, quoniam advesperascit, et inclinata est iam dies. Loquere adhuc amplius nobis, non fastidimus nec dormimus, sed libenter te audimus et facere cupimus, quae dicis. Nam verba tua dulciora sunt super mel et favum et pretiosa super aurum et argentum, et

omnia desiderabilia non valent eis comparari.

O utinam tunc praesens affuissem et cum Iesu secrete a latere eius ivissem aut retro secutus fuissem et caute ad omnia verba Domini mei Iesu Christi advertissem et in corde meo diligenter audita abscondissem ad meditandum inde saepius et ad proficiendum semper in melius et ad cavendum omne otiosum verbum cum hominibus mihi nocivis.

Sed quod non est mihi datum habere corporaliter tecum, Domine, concede mihi consequi posse spiritualiter sive in cella, sive in mensa, sive in otio, sive in labore, sive solus, sive cum socio, ut habeam te semper prae oculis meis sicut vere praesentem et omnia cernentem et mecum in via ambulantem et multa bona inspirantem. Qui vivis etc.

[CAPITVLVM XII.]

De cognitione Christi in fractione panis.

Benedico et gratias ago tibi, Domine Iesu Christe, panis vitae, dulcis hospes animae et caelestis donator gratiae pro admirabili dignatione tua et amicabili convivio cum duobus discipulis tuis in hospitio comedendo, qui magna affec-

tione ad intrandum domum verbis te invitabant, precibus rogabant, manibus attrahebant et cogebant et sine te intrare, residere et comedere nolebant. Tu ergo, pie et mansuete Domine, victus importunis eorum conatibus intrasti cum eis ad cenandum et colloquendum aliqua delectabilia de animarum cibis ab angelis in superna domo praeparatis. Sedens itaque ad mensam cum ipsis et necdum perfecte cognitus ab eis solito more tuo accepisti sacris manibus tuis panem de mensa et levata manu dextera ore sancto benedixisti, sicut coram discipulis prandentibus facere consuevisti. Et primo inde partem frangens et comedens extento bracchio tuo sicut dilectis amicis gaudens eis porrexisti. Et statim aperti sunt oculi eorum cognita virtute tua divina in fractione solidi panis et optimi saporis sine cultro aut ferro plane divisi et sibi in signum miraculi et amicitiae cum nova laetitia distributi. O quam laeta cena gustato pane benedicto de manu Domini. Et quam beati oculi, qui cognoverunt Dominum in fractione panis ore Dei benedicti.

Sed heu, quam brevis mora in tam laeta hora et dulci cena. Et ipse evanuit ex oculis eorum. O mutatio dexterae Dei excelsi, modicum hic, modicum ibi;

nil enim durabile sub caelo, solum vera et aeterna laetitia cum sanctis in caelo.

Quo vadis ergo, Domine, cur tam cito recedis et istos deseris? Noli mirari, noli indignari; scio, quid feci, novi, quid facturus sum. Alias adhuc oves habeo visitare, consolari et confortare in fide. Ipsae me expectant et multum videre desiderant. Vado ergo ad eas, sicut promisi eis, ut me videant et gaudeant et de verbis meis nullatenus dubitent. Ostendam eis vulnera mea, ut his visis tamquam apertis signis firmiter mihi credant et humanis rationibus frustra non inhaereant nec potentiae meae contradicant. Omnia enim mihi possibilia sunt, et oboediunt ad nutum elementa.

Laudo et glorifico te, dulcissime Iesu, pro omnibus factis et dulcibus verbis tuis et apparitionibus coram discipulis tuis in diversis locis dispersis nolens eos orphanos relinquere, qui propter te doluerunt et fleverunt saepissime. Nam maximum amorem semper ad te habuerunt faciem tuam videndo, tecum loquendo, tecum ambulando, tecum navigando, tecum hospitando, tecum comedendo et bibendo, tecum vigilando et orando, tecum dormiendo, tecum surgendo, et ad oris tui iussum prompte oboediendo. Cumque transires per sata

sabbatis, sequebantur te alacres nudis pedibus tecum ieiunantes et esurie cogente fregerunt spicas modicas licite concessas. Haec cogitare libuit et notare diligenter mihi ad ruborem et maerorem, tibi vero, Iesu bone, et discipulis tuis ad laudem et honorem. Quibus Marco teste locutus es hortando fatigatos ad quietem modicam viae longae labore et corporis sudore. Quia sicut gallina congregare solet pullos suos sub alis suis confovendo eos contra frigus, imbrem et aestum et a milvi raptu et canis morsu eos tegendo, sic tu pusillos tuos et humiles corde mundo despectos tibi dilectos collegisti dicens: Venite seorsum in desertum locum, ubi non videatis saeculi vanitates nec audiatis clamorem aliquem vos distrahentem, et quiescite modicum divina meditando et omnia vana obliviscendo.

Nunc ergo obsecro te, amantissime Iesu, visitator infirmorum et consolator pauperum peregrinorum de paradisi gaudiis expulsorum, ut me etiam visites in die tribulationis et anxietatis meae sive in cella sedentem cum taedio sive in choro canentem corde arido sive in refectorio effusum super cibo sapido reducendo me cito ad interiora per sacra oris tui verba omni corporali ferculo

dulciora, quasi de caelo mihi essent transmissa.

Aperi mihi intellectum clarum in obscuris sanctae scripturae locis et accende cor meum igne amoris tui in planis et devotis verborum tuorum sententiis, sicut fecisti cum duobus istis discipulis tuis ex tua apparitione et allocutione accensis, qui pariter in via verbo Dei et cibo refecti cum gratiarum actione dicebant: Nonne cor nostrum ardens erat in nobis de Iesu, dum loqueretur nobis in via et aperiret nobis scripturas? Haec verba suavissima sunt et devotissima et leguntur et cantantur in choro a clericis et presbyteris, a canonicis et monachis, a claustralibus et monialibus diversi ordinis et habitus praecipue in diebus paschalibus et quorundam sanctorum festivitatibus devotis mentibus et vocibus laetis ad Dei laudem et sanctorum eius.

O omnes sancti Dei, orate pro neglegentiis meis, quamdiu peregrinor in terris, quia saepius vexor adhuc passionibus intus et foris, ne vincar heu a spiritibus malignis et priver gaudiis aeternis servis Christi promissis in caelis, quae merito debent me provocare ad repugnandum fortiter contra vitiosas inclinationes et cordis cogitationes per devotas orationes et sanctas meditationes de vita et passione

Christi recolendo omni die unum saltem articulum de tam multis vulneribus et doloribus Domini mei Iesu Christi pro me crucifixi. Cuius vulnera sunt animae meae medicamina, et sacra verba aurea scuta contra inimici ignita tela. Assit mihi ubique divina protectio in omni loco et tempore cum Spiritus sancti gratia. Amen.

[CAPITVLVM XIII.]

De apparitione Christi coram discipulis in Ierusalem sero facto et clausis ianuis.

Benedico et gratias ago tibi, Domine Iesu Christe, pax vera piorum, expectatio iustorum, laetitia devotorum in unum congregatorum, consolator contritorum et visitator inclusorum pro tua gloriosa et miraculosa apparitione coram apostolis tuis in conclavi congregatis sero iam facto nullo aperiente nec pulsante, sed pro custodia domus ob metum Iudaeorum ianuis et fenestris firmissime iam clausis, quatenus sic vere et certive appareret tua apparitio et ingressio ex sola divina potentia, non autem humana vi aut nequitia aut diabolica illusione ibidem fallaciter conficta. Nam Deus verus es, qui non fallis, sed fallaces odis et punis. Omnipotens es, et ideo, quidquid volueris, subito fit.

Simplices vero et devotos, quales erant apostoli et alii discipuli illa hora ibi in clausura congregati, visitasti, illuminasti, confortasti et benivolenter salutasti dicens: Pax vobis; ego sum, nolite timere.

Laudo et honorifico te pro tam suavi et pacifica salutatione post tam magnam tribulationem et plaudo manibus pro tam laeta visione post tam gravem turbationem et formidinem, ut merito visitari, consolari, confortari et salutari de novo egerent, qui in tantas tribulationes et temptationes ceciderant, quales numquam prius forte experti fuerant, ita ut tamquam oves gregis pastore capto et occiso omnes fugerent et hinc inde dispersi lugerent et timerent et tandem vix sero facto in unum se colligerent et repausarent.

Laudo et magnifice exalto dulce nomen tuum, piissime Iesu, super omnes in caelo et in terra, quia hodie dignatus es venire ad fugitivos ac timidos apostolos tuos male contentos et tristes, diffidentes et dubitantes de verbis tuis sibi a te saepe praedictis, quos iam ore proprio amicabiliter alloquendo ineffabiliter laetificasti; et statim eis passionis tuae signa evidentia aperte in manibus et pedibus tuis et sancto latere ostendisti et omnem timorem et diffidentiam abstulisti, favum mellis et partem assi piscis coram eis

gustasti et reliquias eius, ut tecum ederent et gauderent, gloriosa manu tua eis porrexisti; verba sacra ex scripturis inter epulas corporis protulisti, dubia solvisti, obscura declarasti, intellectum illuminasti, affectum accendisti et quidquid necessarium et salubre erat, docuisti et eis revelasti. Insuper data pace bina vice cum benedictione caelesti gavisi sunt gaudio magno valde viso Domino Deo suo, sicut olim tres magi visa stella in caelo omni timore et dubio penitus iam excluso.

Moxque ad confortandum eos contra omnes adversarios infideles et proprios excessus delendos insufflasti in eis gratiam Spiritus sancti dicens: Accipite Spiritum sanctum in vobis pro dono maximo, qui reliquistis omnia, quae sunt in saeculo, pro nomine meo. Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, et quorum retinueritis, retenta sunt.

O vere quam magna gratia data est apostolis per insufflationem sancti Spiritus ex ore Christi resurgentis a mortuis per gloriam Patris, ut non solum de se ipsis essent securi et a peccatis omnibus absoluti, sed etiam haberent plenam potestatem alios a peccatis absolvendi et indignos repellendi reosque ligandi. O quam praeclara dies, quam felix hora vespertina, quando venit Iesus ad apostolos cum

tanta gloria et laetitia replens eos bonis caelestibus manentes in disciplina Dei sub clausura.

O sancte et dilecte Thoma apostole, utinam nunc hic fuisses et mansisses cum coapostolis tuis, quando venit Iesus et dixit: Pax vobis. Sed forte aliqua necessitas exire coegit. O utinam tempestive redisses et omnia verba et facta Iesu audisses cum ceteris, quam bene tibi contigisset et crederes.

Sed quis novit sensum tuum, Domine, aut quis consiliarius tuus fuit, ut tunc subito venires, quando Thomas non affuit et forte exiens parum tardavit? Cur, bone Iesu, sic fecisti et modicum non expectasti, donec Thomas rediret? Quare, pie Iesu, non dixisti: Vbi est Thomas, qui tam ferventer loquebatur ad condiscipulos: Eamus et nos et moriamur cum eo? O sancte Deus, cur non misisti pro eo, ut cito veniret et te videret? Et ego si affuissem, et tibi placuisset, utique libenter ivissem pro eo. Nonne Samuel propheta misit ad vocandum David ex pascuis, ut veniret et ungeretur in regem coram fratribus suis?

Sed nunc scio vere et credo, Domine, quia omnia haec in vero et recto iudicio fieri permisisti, qui caelum et terram in sapientia tua creasti. Nil enim in terra

fit sine causa, sed multi opera tua non capiunt. Non ergo casu fortuito hoc accidit, ut Thomas abesset, quando venisti et apostolis apparuisti, sed dispensative ex certa providentia tua id pie fecisti, ut multa bona inde sequerentur. Vnus ergo dubitavit, ut multi in fide solidarentur. Vnus erravit et instructus se emendavit, ut innumerabiles ex eius conversione et praedicatione ad maiorem cognitionem veritatis pertingerent. Qui enim dubitat, interrogando proficit, dummodo in dubitatione non permaneat, sed sanctorum dictis acquiescat.

Multa sunt supra sensum hominis, quae propter altitudinem divini intellectus facile non queunt capi ab hominibus. Nemo ergo desperet temptatus in fide, sed firmiter innitatur verbis sacrae scripturae. Deus enim reliquit nobis causam sperandae salutis multa exempla sanctorum magnorumque doctorum, qui etiam in multis dubitaverunt, sed se iterum correxerunt et ad Christum fideliter converterunt atque multis multum profuerunt. Benignus est Dominus Iesus, neminem spernit, neminem repellit, et qui ad eum cum simplici corde accedit, in veritate eruditur ab ipso et non decipitur. Quae autem alta sunt, ipsi committenda sunt, qui omnia occulta clare cognoscit et ignota

hominibus recte et bene disponit. Non ergo turbetur ignarus de factis Iesu cum discipulis suis nec indignetur apostolo sancto, qui tarde credidit, quia, quod Deo permittente sibi accidit, cuilibet alteri accidere potuisset.

Obsecro te igitur nunc, clementissime Iesu Christe, visitator inclusorum et confortator timidorum, instructor parvulorum et maiorum, visita etiam me in cella solitarie manentem, studentem et scribentem aut cum aliis in choro psallentem et orantem. Aperi mihi ianuam vitae aeternae, illumina tenebras mentis meae, fuga daemones me temptantes, expelle phantasias varias irruentes, intra ad me secrete clausis foris oculis corporis et ex tua praesentia pacem et laetitiam cordi meo infunde et in remissionem peccatorum meorum sacrosancta vulnera tua in spiritu mihi ostende, quae pro me passus es in cruce et quibus me redemisti ab aeterna morte ex mera caritate moriendo et iterum resurgendo. Qui cum Patre etc.

[CAPITVLVM XIIII.]

De apparitione Christi coram sancto Thoma apostolo in octava paschae.

Benedico et gratias ago tibi, Domine Iesu Christe, auctor vitae, largitor veniae, infusor gratiae, promissor futurae gloriae cum sanctis angelis in aeterna beatitudine, pro tua benigna apparitione coram omnibus apostolis tuis iterata vice praesente iam apostolo tuo Thoma adhuc dubitante ad confortandum eum in vera et recta fide tua per visum et tactum gloriosi corporis tui quinque vulnerum tuorum sacris stigmatibus decorati in memoriam sacratissimae passionis tuae pro nostra salute.

Laudo et honorifico te pro gaudiosa salutatione tua et aperta visione cum caelesti benedictione, qua benedixisti apostolis tuis ore sancto tuo et laeta facie dicens eis: Pax vobis hic et in futuro. Nunc quidem per fidem et gratiam, postea vero per speciem et claram visionem. Sicut dilexit me Pater, et ego diligo vos. Manete in dilectione mea et perseverate mecum, et manebo vobiscum hic et in aeternum.

Laudo et glorifico te, Iesu Christe, reverende magister et Domine, pro tua

amicabili pacis annuntiatione et reverenda statione in medio discipulorum tuorum conservando eos a timore Iudaeorum. Quia, sicut bonus pastor stat in medio ovium suarum ad defendendas eas a morsibus luporum, sic fecisti cum apostolis tuis in die malorum confortando eos contra adversa propter regnum caelorum. Et sicut rex potens et nobilis princeps stat armatus in medio populi sui tenens hastam et clipeum contra hostium iacula confortando milites suos ad proeliandum fortiter aut vincere aut mori feliciter, sic stetisti et tu, Iesu fortissime, bellator daemonum et hominum perversorum, in medio discipulorum tuorum indutus stola iucunditatis et lorica immortalitatis tenens pro signo veritatis stigmata passionis tuae quasi aperta foramina in clipeo corporis, quibus debellasti huius mundi principes et rectores tenebrarum multarum ad roborandum milites tuos apostolos in fide, spe et caritate, qui prius erant valde pusillanimes visa passione tua et cruce et morte ac corporis tui sepultura in dura petra firmiter clausa. Quis hominum putasset te resurrecturum visis tot mortis in te vinculis et signis?

Et ideo ne desperarent dilecti discipuli tui nondum in fide plene confirmati, apparuisti eis visibiliter, cum sacri et

gloriosi corporis tui stigmatibus miraculose in te relictis in testimonium verae resurrectionis tuae, ut crederent et non dubitarent de apparitione tua, dicens eis: Palpate et videte, quia ego ipse sum Iesus Christus, qui pro vobis pependi in cruce et resurrexi tertia die divina virtute, sicut praedixi vobis saepe aperte, sed non intellexistis tunc clare. Videte ergo nunc manus meas et pedes meos et latus meum et considerate praecipue in me quinque passionis meae vulnera ad meditandum in eis die ac nocte, quanto amore vos dilexi et quanta sustinui pro aeterna salute vestra. Pax vobis amicis meis, contemptoribus mundi, quibus praeparavi aeterna gaudia caeli cum angelis sanctis post multa pericula vitae praesentis. Nolite timere, nolite diffidere; ego merces vestra, corona vestra et benedictio vestra. Amen.

Oratio ad impetrandum pacem cordis, quam Christus discipulis suis obtulit.

O melliflue Domine Iesu Christe, rex caeli et terrae, vera pax cordium et consolator maerentium, dic, quaeso, animae meae tribulatae et desolatae, sicut tu melius nosti: Salus tua ego sum, pax tua, vita tua, consolatio tua, spes tua, lux tua, requies tua. In

me totum bonum tuum, verum animae solacium, omne iucundum ac interminabile gaudium. Quid vis amplius? Nihil, Domine; te solum volo, te quaero, te desidero, te intime amo, te in omnibus et super omnia, semper et ubique laudo et benedico. Tu omnibus dominaris in caelo et in terra, in mari et in omnibus abyssis, in montibus et silvis, et omnis creatura parva et magna tibi nota est et perspicua. Omnia in sapientia fecisti, et providentia tua omnia gubernantur.

O pax Dei, o clara cognitio creatoris mei, quae exuperat omnem sensum et intellectum humanum et angelicum, quando venies ad me? O quando implebis me foris et intus, ut nihil desiderem amplius? Domine Deus, inquietum est cor meum, donec quiescat in te. Impacata est mens mea, donec perfecte uniatur tibi in vita aeterna. O pax, quam dulce et optabile est nomen tuum in universa terra. Quam laeta et delectabilis est vox tua in caelesti patria. O vera, summa, sempiterna pax cum Deo, cum angelis sanctis et cum omnibus hominibus bonae voluntatis.

Da pacem, Domine, in corde meo, ut te summe diligam, da pacem in ore meo, ut te devote laudem, da pacem in manu mea, ut omnia bona opera ad honorem tuum semper faciam. Dic mihi, cum

tristis fuero: Pax tibi, ego sum, noli timere. Pax tibi, nil iucundius ad audiendum; ego sum, nihil felicius ad habendum; noli timere, nihil securius ad gaudendum; ecce ego vobiscum sum, nihil dulcius ad fruendum, omnibus diebus usque ad consummationem saeculi; nil certius et firmius ad credendum et obtinendum vitam aeternam.

O Domine, quidquid habeo, quidquid video et desidero, totum nihil est sine te. In te solo omnia bona mea, nil melius, nil perfectius, nil ditius, nil beatius. Ideo tota spes mea, tota res mea, tota salus mea, tota pax mea in te, Deo, salutari meo, et non in alio quocumque creato bono quantumlibet pulchro, nobili et magno. Dico ergo et oro cum sancto et humili Francisco: Deus meus et omnia, non cupio plura. Si quando in tribulatione fuero et privatus interno bono et solacio, iterum dico et oro: Deus meus et omnia. Nil plus volo, nil cupio, nisi te, Deus meus, qui es omnia in omnibus et super omnia et ante omnia benedictus in saecula. Domine, da mihi haec intente cogitare et semper devote implere. Amen.

[CAPITVLVM XV.]

De tactu sanctorum vulnerum Christi per manum sancti Thomae apostoli.

Benedico et gratias ago tibi, Domine Iesu Christe, illuminator omnium fidelium tuorum in caligine huius mundi, pro tua maxima miseratione et speciali apparitione et confortatione sancti Thomae apostoli tui in fide resurrectionis tuae, quae omnem humanam rationem excedit et a mortalibus comprehendi non potest, sed sola fide et revelatione divina. Multa, Domine Deus, mirabilia operatus es ab initio saeculi et adhuc cotidie operaris in caelo et in terra pro gloria nominis tui declaranda. Quamvis ergo haec ab hominibus comprehendi et investigari plene nequeunt, tibi tamen facillima sunt et ad electorum salutem potissime fiunt et ordinantur.

Et quia dilectus iste discipulus tuus in sensu suo pertinaciter non stetit nec malitiose verbum protulit, quod non crederet, nisi te videret et tangeret, ideo misericordiam et gratiam consequi promeruit, ita ut patenter oculis suis te videret et manu reverenter certissime tangeret et omnem dubitationem relinqueret et pusillanimes in fide confortaret. Videns

igitur humanitatem tuam et credens corde latentem in te divinitatem exclamavit ore cum magna devotione et plena fide dicens: Dominus meus et Deus meus. Hoc firmiter credo, hoc veraciter profiteor, hoc patenter eloquor, hoc audacter praedico, hoc omnibus populis denuntio et usque in fines orbis terrae annuntiare desidero, ut omnes in te credant et salvi fiant: Dominus meus et Deus meus, creator meus et redemptor meus. Haec est vera et firma fides, quae ducit ad regnum caelorum credentes.

O quam magna multitudo dulcedinis tuae, Domine, in sanctis et electis amicis tuis, quam eis frequenter in hac vita inter tribulationes et temptationes ostendis et praegustare facis et ad proficiendum et perseverandum verbis et exemplis exhortaris. Aliquando te abscondis, ut lugeant et quaerant te et videre desiderent et suam infirmitatem cadendo et torpendo cognoscant et magna de se non cogitent nec altiora supra se praesumant. Post haec iterum te ostendis et dolentes consolaris, illuminas et doces, ne desperent in die malorum nec se elevent in die bonorum, sed recogitent se esse homines mortales et peccatores gratia Dei et misericordia semper indigentes, non angelos in gloria confirmatos.

Laudo et magnifice recommendo pietatem et mansuetudinem tuam, quod post pacis oblationem et veniae donationem ostendisti te pium sancto apostolo tuo Thomae coram te genua sua humiliter et reverenter flectenti et veniam cordialiter deprecanti sacrosancta vulnerum tuorum stigmata gloriosa omni thesauro mundi digniora, omnibus gemmis pretiosiora, omnibus rosis rubicundis pulchriora, omnibus aromatibus et odoriferis floribus dulciora. Haec super omnia ornamenta caelorum lucent clarius, laetificant animas sanctorum amplius, accendunt corda fidelium ardentius, emolliunt duritiam peccatorum saepius, ut plangant acrius, excitant torpentes ad orandum diutius, trahunt devotos ad osculandum crebrius, movent benivolos ad regratiandum tibi ferventius. Haec sancti et devotissimi patris Francisci omnia interiora ex frequenti memoria et exteriori aspectu vulnerum Christi compunxerunt et flere fecerunt, ut etiam foris in corpore suo sacrosancta stigmata palam apparerent. Haec quinque sancta amabilia Iesu vulnera adhuc multos devotos religiosos, etiam saeculares personas, viros ac mulieres, saepe intus compungunt et lacrimari cogunt, cum Crucifixi imaginem in ecclesia vident aut passionem Christi

praedicare audiunt vel legunt aut recogitant ad laudem Dei. Amen.

De magna devotionis gratia et firma fide sancti Thomae apostoli.

O quam magnam devotionis gratiam consecutus est sanctus iste Thomas apostolus ex contactu sanctorum vulnerum tuorum, Deus meus, etiam prae multis sanctis, qui te in carne viventem viderunt et post resurrectionem tuam in te crediderunt.

Summe igitur benedico te et gratias ago tibi, Domine meus et Deus meus, qui me recte credere et bene vivere per apostolos tuos docuisti et sine aliqua haesitatione et omni fictione veram fidem confiteri. Dixisti enim veraciter: Qui me confessus fuerit coram hominibus, confitebor et ego eum coram Patre meo. Da ergo mihi, Domine, constanter loqui veritatem et confiteri fidem rectam, sicut sanctus Thomas coram te praesentibus apostolis locutus est dicens: Dominus meus et Deus meus.

Quid hac voce clarius, quid verius, quid perfectius et fidelius constat? De quo beatus Iohannes ita scribit: Respondit Thomas et dixit ei, scilicet tibi Domino Deo meo: Dominus meus et Deus meus. Multi enim fideles tibi di-

xerunt et vocaverunt te diversis et sanctis nominibus secundum fidem et devotionem suam, et quidem iuste et bene secundum ineffabilem dignitatem tuam, quae tamen longe excedit omnis creaturae altitudinem et laudem atque omne nomen dignitatis in caelo et in terra. Quidam dixerunt ad te orando: Miserere mei, Iesu Nazarene, quidam: Fili David, quidam: Magister bone et Domine, quidam: Rabbi aut Rabboni, quidam: Praeceptor et salvator mundi, quidam: Propheta magnus et rex Israel, quidam: Ecce agnus Dei, sicut Iohannes Baptista, quidam: Tu es filius Dei, ut Nathanael, quidam: Invenimus Messiam, ut Andreas, quidam: Tu es Christus, filius Dei vivi, ut Simon Petrus et alii apostoli per revelationem Patris caelestis. Et ut omnia divinae nominationis vocabula et sanctae praedicationis verba perfecte in unum breviter ac fideliter concludantur et firmiter credantur, sanctus Thomas Spiritu sancto illuminatus et plene instructus et a te, Domine, praesente confirmatus in fide ait aperte et confidenter ad te, Dominum nostrum, clara voce: Dominus meus et Deus meus. In quibus verbis comprehendit breviter omnia, quae de te vere dici et credi secundum divinam et humanam naturam possunt ad laudem tuam

et salutem omnium in te credentium Christianorum per orbem terrarum.

Praesta mihi, Domine Deus meus, hanc sanctam et catholicam fidem tuam firmiter retinere, bonis operibus adornare et custodire et numquam a veritate deviare. Amen.

[CAPITVLVM XVI.]

Oratio de quinque sacris vulneribus Iesu Christi.

Benedico et gratias ago tibi, Domine Iesu Christe, amantissime fili Dei pro salute mundi crucifixe, pro omnibus doloribus et sacris vulneribus tuis, maioribus et minoribus, quae pro peccatis meis purgandis atque absolvendis pie et innocenter pertulisti et Patri tuo caelesti in vera caritate et perfecta oboedientia moriendo gratissime et sponte obtulisti.

Et praecipue laudo et glorifico te nunc et in omnibus diebus vitae meae cum summa gratiarum actione et benedictione oris mei ex intima cordis mei affectione et cum suavissima recordatione pro maxima et amicabili dignatione et aperta ostensione quinque sanctorum vulnerum tuorum, quae in tuo sanctissimo et glorioso corpore post beatam et gloriosam resurrectionem tuam reservasti et discipulis tuis ad videndum oculis eorum prae-

sentasti et sancto Thomae apostolo dubitanti ad palpandum benigne et certive praebuisti et in fide solidasti atque in signum perpetuae dilectionis tuae ad eos et ad omnes fideles tuos per totum mundum tibi devotos haec nuntiari et declarari voluisti, ut te intime amarent et gratificando a laude tua numquam cessarent.

Dignum ergo est et utile mihi cotidie recogitare maximum amorem tuum ad me, ut, sicut sacrosancta haec quinque vulnera tua remanserunt in glorioso corpore tuo quasi nova et indelebilia scuti foramina lucida nimis super omnia caeli sidera, ita etiam fixa maneant iugiter in memoria mea et in omnibus fidelibus tuis propter innumerabilia bona inde provenientia et ad mala propulsanda ac delenda in hac vita et certe propter aeterna gaudia, o pie Iesu, tecum feliciter consequenda.

Laus, honor, virtus, gloria et victoria tibi, Domine, pro sacris vulneribus tuis, quibus me redemisti, mundum purgasti, infernum spoliasti, paradisum aperuisti, caelum illuminasti et angelos laetificasti. Et ut miserum ad te traheres et Patri reconciliares et iram eius flecteres, etiam in caelum ascendens haec sancta stigmata servasti et ad miserendum semper mihi

et omnibus in te credentibus et pro peccatis suis dolentibus tecum ad dexteram Patris portasti et omnibus in caelo habitantibus in signum devictae mortis praesentasti.

O stupor et gaudium, o immensa spes credentium, Iesu Christe, rex gloriae, tu splendor Patris, honor matris, decor virginis, Mariae filius, flos campi, lilium convallium, solacium tribulatorum, sanitas infirmorum, iubilus devotorum, beatitudo sanctorum, felicitas angelorum, scribe, quaeso, Domine, haec sancta et pretiosa vulnera tua in corde meo pretioso sanguine tuo ad compatiendum tibi intime et ad amandum te super omnia maxime et ad sustinendum saltem pauca verba ex amore pro dulcissimo nomine sancto tuo libentissime, quod est super omne nomen sanctorum angelorum et hominum altissime benedictum in saecula saeculorum.

Pinge haec rubeis figuris et aureis circulis ante vagos oculos meos, ne videam vanitates mundi nec cogitem de eis nec audiam aliquos rumores me inquietantes neque advertam ad narrantes mihi aliquid, quod non est de te, Iesu Domino, Deo meo. Vana enim sunt omnia, quae distrahunt me a caelestibus bonis cogitandis et a sanctis vulneribus tuis lacrimandis.

Infige igitur sacros clavos tuos pedibus meis tamquam acuta calcaria ad sequendum vestigia tua per amara et adversa, ut non elever in bonis nec deiciar in malis affligentibus me. In utroque pede vulnera me, ne longius recedam a te. In sinistro infige clavum timoris, ne consentiam vitiis carnis, sed paveam a poenis inferni futuris. In dextro pede infige clavum sancti amoris cum fervore magnae devotionis ad currendam viam mandatorum tuorum diebus ac noctibus in servitio tuo in hymnis et laudibus divinis, alacriter et summe tibi regratiando aut etiam in externis laboribus pro communi bono ex oboedientia et fraterna caritate fatigando. Brevis et levis est omnis temporalis labor et sudor, sitis et dolor corporis pro te, Deo meo, in carne passo et vulnerato; longum vero et nimis longum aeterna poena, infernus et ignis semper ardens.

Incute etiam duos clavos tuos in manibus meis ad operandum bona opera diligenter, dum tempus assit, et ad cavendum otium vile, quod animae valde nocet, et ad amplexandum te utroque bracchio meo amorose in cruce pro me pendentem, vulneribus plenum et pro inimicis tuis orantem.

Trahe ergo me ad te de carne ad crucem, de terra ad caelum. Cupio enim

dissolvi et tecum mori in cruce et per vulnera tua a peccatis purgari et ab aeterna morte liberari.

Deus meus es tu, et confitebor tibi peccata mea, sana me per sancta vulnera tua pro me tibi acriter inflicta. Quis enim me emundabit ab omnibus malis et neglegentiis meis nisi tu solus Deus, redemptor meus pro me crucifixus et multis plagis vulneratus? Inter quae specialiter eminent, redolent et fulgent quinque pretiosa vulnera tua clavis et lancea perforata, tamquam rubea sigilla agni Dei cruore colorata, divini amoris stimulo figurata et tamquam firmissima aeternae redemptionis meae signacula sancta numquam delenda; sed omni gratia et dulcedine plena, mihi et omnibus fidelibus ad osculandum et intuendum oculis mentis aperta et ad intrandum caelorum secreta lacrimantibus concessa.

Intra, intra confidenter, anima mea, per viscera misericordiae Dei tui pendentis in cruce; intra in profunda vulnerum eius foramina a facie colubri insidiantis ubique aperte et occulte. Mane hic in silentio secure, tamquam turtur gemens in solitudine et tamquam columba latens in foraminibus firmissimae petrae, spernendo omnia gaudia mundi, meditando sacra vulnera Iesu Christi ac sperando

per haec aeterna praemia caeli per ipsum tibi donanda.

Obsecro te nunc, piissime Iesu Christe, dic etiam animae meae salutiferum verbum tuum, quod dixisti sancto Thomae apostolo tuo ipsum in fide confortando et in signum maximi amoris tui omnia peccata sibi dimittendo: Infer digitum tuum huc et vide manus meas duris clavis in cruce pro te ex amore transfixas et affer manum tuam ad tangendum me mentaliter et mitte in latus meum tibi apertum amicabiliter, lancea militari perforatum tam duriter, ut emanaret sanguis et aqua ex eo largiter in remissionem omnium peccatorum veraciter et pro omnibus credentibus misericorditer. Et noli esse incredulus, sed fidelis, non dubiosus, sed firmus et stabilis, non curiosus, sed simplex et devotus, non segnis nec obliviosus, sed fervidus et gratus Deo semper pro tantis beneficiis. Haec mihi concede, bone et dilecte Iesu, frequenter cogitare et ruminare, tibi firmiter credere et adhaerere, de verbis tuis et aeterna veritate numquam dubitare, in omni temptatione et tribulatione ad tuam passionem cito recurrere et in sanctis vulneribus tuis et poenis solacium quaerere et pacem et requiem animae meae in te semper invenire. Qui cum Patre etc.

[CAPITVLVM XVII.]

De armatura Christi, cruce, clavis, lancea et corona spinea.

Benedico et gratias ago tibi, Domine Iesu Christe, rex omnium regum, pro triumphalibus et regalibus armis tuis, scilicet cruce, clavis, lancea, corona spinea, virga, reste, columna, ad quam nudus fuisti ligatus et durissime flagellatus, et pro ceteris omnibus sacrae passionis tuae articulis et tormentis pro nobis vilibus peccatoribus ad debellandum diabolum et amatores mundi cum omnibus pompis et malitiis suis, ad dandam misericordiam et remissionem peccatorum omnibus in te credentibus et vere paenitentibus, ad consequendam spem aeternae salutis et gloriam caelestis beatitudinis cum sanctis angelis tuis in caelis post futuram et generalem resurrectionem defunctorum secundum merita singulorum bonorum et malorum. Tunc enim apparebunt signa multa in caelo et in terra et sacrae passionis tuae vulnera cum vexillo crucis et aliis armorum tuorum gestis ad laetitiam et fiduciam electorum, ad terrorem et tristitiam damnatorum. Tunc exultabunt omnes electi, humiles, innocentes, devoti et casti, simplices, oboedientes, mansueti

et iniuriam propter nomen tuum saepe perpessi, passionem tuam et sacra vulnera tua tamquam sua propria saepe dolenter recogitantes et gratias tibi inde maximas referentes. Tunc etiam valde timebunt et lugebunt super se ipsos superbi, avari, invidi, gulosi, carni servientes, raro vel numquam de passione tua et vulneribus tuis compassive pensantes, sed magis propria lucra et commoda quam tua beneficia et acerba vulnera ponderantes.

Ab his ergo perversis et ingratis hominibus custodi me, Domine, et puris et innocentibus gregis tui ovibus semper me coniunge, pro quibus dignatus es ex caritate crucifigi, mori et multis plagis vulnerari.

O mansuetissime Iesu, indue me nunc fortitudine virtutis tuae et sacris armis acerbissimae passionis tuae circumcinge me undique in omni loco et tempore propter multas insidias et temptationes maligni spiritus impugnantis me a dextris et a sinistris, mille modis et artibus, semper tamen pravis et vanis. Idcirco ad passionem tuam, Domine, humiliter confugio et a te consolari et potenter adiuvari cordialiter peto.

O pie Iesu, adiutor ac defensor in omni temptatione et tribulatione huius

fragilis vitae, erige ante faciem meam in altum sanctae crucis tuae regale vexillum, aeternae salutis signum, divinitatis sceptrum, humanitatis arcum et scutum, fortissimum propugnaculum, terribile tonitruum et acutissimum iaculum contra diaboli fremitum et bellum, contra mundi strepitum et carnis stimulum, contra omne vitium et cogitatum perversum, contra blasphemiae spiritum et desperationis abyssum volentem me submergere et saepissime ab invocatione dulcissimi nominis tui Iesu et sanctae Mariae matris tuae et sanctorum tuorum avertere, vitam et famam eorum denigrare et, quod peius est, a recta fide et sanctae crucis veneratione et amore bene credentem revocare.

O Iesu, rex fortissime, sit mihi sancta crux tua salus, pax et vita, clipeus, gladius et lancea, turris fortitudinis a facie inimici, murus firmus a fraude serpentis antiqui, lux in domo, dux in via, bona custodia intus et extra, supra et infra ob multa obstacula et pericula. Sit mihi dulcis et dilecta crux quies in labore, solamen in maerore, medicina in languore, unctio in dolore; sit tutela in solitudine, cautela in multitudine, in tenebris lucerna, in meridie laetitia, in vespere laus, honor, virtus et gloria. Sit mihi speciosa et decora crux dulcedo in amaritudine, vale-

tudo in aegritudine, fides firma in agone, spes unica in egressu animae, assistentia in iudicio, protectio ab inferno, liberatio ab omni poena, reportatio ab angelis sanctis in caelum cum gloria.

Applica mihi adhuc, Iesu patiens, in doloribus sanctos clavos tuos tibi duriter in cruce pendenti infixos ad custodiam cordis, oris et omnium sensuum meorum et contra terrores daemonum diurnos et nocturnos, ut visis clavorum tuorum signis fugiant a me quasi ab acutis sagittis et permittant me in pace tua quiescere aut orare et seriose cogitare de doloribus clavorum in corpore Domini mei Iesu Christi nec audeant me molestare phantasiis pessimis cogitantem de sanctis vulneribus tuis, quae pertulisti in manibus et pedibus tuis, valde magnis et profundis.

Appone etiam, quaeso, lateri meo omni tempore sive vigilanti sive dormienti ad custodiam cordis mei sanctam et acutam lanceam tuam tibi mortuo acriter infixam, ut et ego configar tecum in cruce tibi intus condolendo, foris omnia mundana respuendo et cuncta vana excludendo, solum, quae divina sunt, et sancta vulnera tua memorando. Sic vulnera cor meum, Deus meus, ut nil impuritatis in me maneat amplius.

O summe et amande Iesu Christe, firma spes credentium, fortitudo pugnantium, corona vincentium, sapientia speculantium, illuminatio ignorantium, ostende etiam mihi in ergastulo carnis exulanti sanctam et benedictam spineam coronam tuam sancto capiti tuo cum derisione et dura percussione acerrime inflictam et impressam sacrosancto sanguine tuo ex multis vulneribus undique distillante. Sit mihi, quaeso, huius sanctae et acerbissimae coronae larga distillatio omnium peccatorum meorum plena purgatio, lacrimarum inundatio et aridi cordis mei subita emollitio. Sit mihi huius sanctae et benedictae coronae tuae frequens recordatio et fortis imaginatio atque ingens vulnerum tuorum laesio et inspectio cunctarum malarum rerum et cogitationum immundarum expulsio et fugatio omniumque tribulationum extinctio et cassatio. Nam vehemens dolor capitis extinguit libidinem in ceteris membris corporis. Intret, intret ergo recens dolor huius spinosae et cruentosae coronae cordis mei intima, commoveat omnia corporis mei membra, repleat me amaritudine ad delendum omnes faeces animae meae, quas contraxi longo tempore in insipientia mea. Conterat in me omne altum cupitum ad nihilum, omne pul-

chrum in pulverem, omne pretiosum in lutum, omne floridum in putridum, omne delectabile in absynthium amarissimum, omne incundum in lamentum, omne ridiculosum et iocosum in derisum et contemptum.

O quam pulchra et splendida erit in futuro devotae et castae animae corona in caelesti gloria, quae in mundo tam frequenter et dolenter cogitat de spinea Iesu corona et omnia amara eius vulnera portat cum maerore in sua memoria. Credo, quod talis anima moriens et migrans ex hac aerumnosa vita magnam spem veniae et fiduciam multae misericordiae habebit in fine ad recordationem sacrae passionis tuae, Domine.

Igitur propter singula vulnera tua dimitte etiam mihi omnia peccata mea cotidiana et antiqua, sicut fecisti cum sancta Maria Magdalena ex sola misericordia tua et gratia, quae valde flevit peccata sua et maxime passionis tuae sancta vulnera tua tibi inflicta propter peccata nostra gravia et vere valde multa. Sed vicit misericordia et pietas tua, misericordissime Iesu, omnia mala nostra nova et antiqua propter viscera misericordiae tuae et mille milia vulnerum tuorum verbera ab impiis patientissime tolerata, quae a sancta matre tua et di-

lecta Maria Magdalena oculis visa multis sunt lacrimis umectata.

Igitur adhuc amplius compunge me, Domine, ab intra in flagellatione tua et stricta alligatione cum restibus ad columnam durissimam coram multis astantibus, ridentibus et exprobrantibus, tibi nil compatientibus nec erubescentibus, sed tamquam canes furiosi ovem innocentem lacerare dentibus cupientes verbera veris beribus addiderunt et dolores doloribus inflixerunt te nihil contradicente nec exclamante: O vae, o vae, quare tam acriter flagellatis me?

O quam magna et ineffabilis patientia tua, Domine Iesu, in tanta afflictione et cruentatione vulnerum tuorum pro expiatione peccatorum meorum. Ego peccavi, Domine, et tu flagellaris pro me. Ego inique feci et in multis saepe offendi, et tu in nullo reus ab impiis iniuste condemnaris. Ego inaniter saepe rideo, et tu turpiter derideris. Ego bene vestitus placere cupio hominibus, et tu nudus suspenderis cum latronibus. Ego vescor bonis cibis et potibus, et tu aceto et felle potaris amarissimis in ara crucis. Ego dormio in molli lectulo, et tu in duro sepulchro sepeliris tamquam abiectus in mundo. Ego siccis oculis saepe ante crucem transeo, Maria autem Mag-

dalena et aliae sanctae mulieres lacrimari non cessaverunt, donec a morte resurgentem te viderent et sanctos pedes tuos adorantes retinerent.

Da mihi, pie Iesu, haec cogitare et cum sancta ac devotissima amatrice tua Maria Magdalena et ceteris discipulis tuis ita flere, ut ad resurrectionis gloriam in novissimo die tuba resonante merear pervenire et cum electis tuis omnibus in aeternae beatitudinis regnum introire. Amen. Sit mihi nobilissima armatura tua, Domine Iesu Christe, protectio firma intus et extra contra omnia inimici iacula et quaelibet mundi blanda et adversa. Amen.

[CAPITVLVM XVIII.]

De apparitione Christi coram septem discipulis in mari Tiberiadis piscantibus.

Benedico et gratias ago tibi, Domine Iesu Christe, universorum conditor et gubernator caelestium et terrestrium, angelorum et hominum, magnorum et parvorum, divitum et pauperum, in terra viventium et in mari laborantium pro tua manifesta apparitione post gloriosam resurrectionem tuam coram septem discipulis tuis in mari Tiberiadis

in piscando laborantibus pro necessariis vitae acquirendis et pro sustentatione pauperum et hospitum de iustis laboribus Deo et hominibus placitis, lege naturae et divino munere concessis propter multa bona inde venientia ad otiosa vitanda et tempora utiliter expendenda.

Laudo et honorifico te, piissime Iesu, visitator laborantium et adiutor in opportunitatibus dando bonum consilium indigentibus ad sustentationem vitae temporalis in terra et in aquis.

Benedico te pro illa reverenda statione tua in litore maris respiciendo ad labores discipulorum tuorum, quam caritative iungebantur et mutuo se iuvabant, quam ordinate procedebant et instrumenta arripiebant ad piscandum more consueto sine clamore et contentione verborum Petro, ut aestimo, sedente in capite ad gubernaculum navis tamquam nauclero et in arte piscatoria doctissimo, ad cuius imperium et nutum ceteri manum movebant ad opera fortia, si forte instaret tempestas aliqua, Iacobo vero et Iohanne, duobus filiis Zebedaei in simili arte edoctis, sicut a patre suo didicerunt experientissimo sene, sedentibus ad remigandum constanter et caute, sancto autem Thoma, viro forti et fideli, ad trahendum rete sponte parato cum sancto

Nathanaele in lege Dei perito et in sancto opere isto iuvare praecincto cum duobus aliis discipulis, quos ignoro, sed forte cum sancto Simone et Iuda, carissimis cognatis tuis et amicis.

His itaque bene dispositis, et per totam noctem laborantibus, remigantibus, trahentibus et sudantibus usque in mane nihil prorsus prendiderunt. Quapropter de suo labore desperantes iam piscari ultra cessare cogitabant, nisi Deus melius provideret.

Facta est autem in piscando magna difficultas, ut postea adveniente magistro et Domino Iesu et consilium dante fieret magna iucunditas. Et quia in praeterita nocte Iesus in navicula corporaliter non erat, sicut saepius ante adesse solebat, parum vel nihil proficiebant, sicut eis praedixerat: Quia sine me nihil potestis facere.

Sed nolite in hac vice diffidere, dilecti discipuli, saepe enim triste mane vertitur Deo favente in clarum meridiem. Expectate modicum et invocate pium Dominum Iesum, et succedet vobis prospere post laborem nocturnum. Et factum est ita Iesu apparente et dicente: Mittite in dexteram navigii rete, et invenietis multum, qui prius me absente modicum capere non potuistis.

Laudo et glorifico te, providentissime Iesu, pro tua pia allocutione cum egenis piscatoribus istis non habentibus adhuc certos reditus nec praebendas ecclesiasticas, unde viverent; sed de labore manuum suarum necessaria vitae sibi licite procurabant, ne aliis in petendo onerosi essent aut de otio suo scandalizarent infirmos. Subvenisti ergo, bone Iesu, in necessitate tali pauperibus tuis quaerendo ab eis, si edulium apud se haberent, amicabiliter sciscitando de pulmentario: Pueri, numquid pulmentarium habetis? Responderunt: Non. Brevis responsio coram omnipotente Domino sciente omnia ab aeterno, cui omne cor patet et secretum et quidquid in navi erat et in mari natat. Misertus es ergo, bone Iesu, paupertati eorum sicut quondam esurienti turbae in deserto consilium dando et auxilium oboedientibus tibi citius unico verbo. Cum bona ergo fide ponentes spem in Deo, non in arte sua, miserunt sagenam in dexteram navigii iuxta praeceptum Domini stantis in litore maris, qui plus omnibus iuvabat eos verbis suis sine remis. Et ecce Iesu iam auxiliante impleta est sagena illorum tanta multitudine piscium, quod non valebant rete trahere ad terram. Tanta sunt dona Dei, quod excedunt vires humanas.

Hoc viso et tam grandi miraculo facto dicit sociis suis et specialiter Petro discipulus ille, quem diligebat Iesus: Dominus est. Quo audito gavisus est Petrus gaudio magno valde et tanto amore accensus in corde, quod omnibus oblitis et relictis in navi sine mora exilivit in aquam et tunica succincta properavit ad Iesum Dominum suum, quem amavit super omne nomen sanctum in saecula benedictum.

O quanta reverentia et fiducia accessit et umida genua sua flexit coram te, Domine Iesu, adorans et honorans faciem tuam sole clariorem, angelis sanctis semper conspicuam, sibi tantum et consodalibus suis ad horam pro consolatione concessam, magnatis vero et divitibus saeculi huius et epulis vacantibus omnino negatam.

O pie et dulcissime Iesu, ne avertas faciem tuam a me, in quocumque loco et labore fuero constitutus. Veni et asta mihi in cantando, legendo, meditando, scribendo, studendo. Memento mei in bono et, cum male mihi subito contigerit, da patientiam in corde meo et in ore meo te semper benedicere et omnia pro amore et honore tuo patienter sustinere. Visita me in nocte, quando pulsatur ad matutinas, ut cito surgam cum fratribus

meis ad cantandum psalmos et adiuvandum eos, sicut apostoli isti per totam noctem ad capiendos pisces pariter manserunt et laboraverunt, donec illucesceret dies, et tu venires et benedictionem dares. Nam te praesente et benedicente rete eorum multis magnis piscibus impletum est.

Sic, quaeso, Domine, gratia tua praeveniente et subsequente tanta dulcedine internae devotionis me implere digneris in orando, ut multi longi psalmi melius mihi sapiant oranti quam magni pisces esurienti. Maior est enim suavitas mentis quam ventris. Nam spiritus recreat, caro gravat, spiritus purificat et laetificat, caro maculat et contristat. Spiritus Deo se subdit et oboedit, caro autem saepe resistit et laedit. Melior est enim anima quam corpus, dignior spiritus vivens quam caro putrescens. Dulcis est mundus, sed super omnia dulcior et altior Deus omnia creans et regens.

Per omnia benedictus sis, Domine Iesu Christe, Deus meus, qui facis mirabilia magna solus in mari et in terra. Nam cum electis amicis tuis libenter comedis et epularis et praeparas eis sacrum et spirituale convivium in hymnis et psalmis, qui dulciores sunt omnibus terrenis cibis et potibus exquisitis. Amen.

[CAPITVLVM XVIIII.]

De convivio Christi cum eisdem discipulis suis.

Benedico et gratias ago tibi, Domine Iesu Christe, consolator tribulatorum, miserator pauperum, refector esurientium, confortator laborantium, pro corporali convivio cum discipulis tuis et pro copiosa captura multorum et magnorum piscium per manus et labores carissimorum discipulorum tuorum in conspectu oculorum tuorum et per virtutem verborum tuorum, quando dixisti eis: Mittite in dexteram navigii rete, et invenietis. O magna gratia Dei. Tu es enim creator omnium rerum et provisor egenorum et pusillorum, qui non habent promptuaria plena ciborum nec bursas denariorum in cistis absconditas. Vae confidentibus in scriniis suis, ubi fures possunt una nocte omnia rapere et male consumere.

Laudo et glorifico te, gloriosissime Iesu, pro amicabili invitatione discipulorum et pauperum piscatorum tuorum ad prandendum tecum post longum ieiunium et gravem laborem piscationis dicens eis: Venite, prandete; paravi enim vobis fatigatis et esurientibus panem et

piscem assum super prunas ardentes. Si quis vestrum indiget calefactione, accedat ad ignem et calefaciat se. Si vestem maculavit aut caligam umectavit, lavet cito et detergat ad prunas meo nutu paratas. Scitis bene, quid fecerim vobis olim in cena ante passionem meam lavando pedes vestros et tergendo et qualem sermonem feci ad humilitatem et caritatem invicem servandam exemplo meo diu vos exhortando. Et nunc post resurrectionem meam appareo vobis ad ista similiter adimplenda diligentius admonendo et vobiscum prandendo.

Ego cibis non indigeo ad necessitatem, sed ad ostendendam vobis gloriosae carnis meae veritatem vobis nunc loquor et edo. Prandete igitur mecum in caritate sobrie et modeste cum silentio a rebus vanis abstinendo, sicut docui vos, et in me vidistis et frequenter audistis. Quia numquam protuli verbum leve ex ore meo, sed semper quod Patri meo placuit et aliis audientibus utile et fructuosum fuit. Testes horum sunt quatuor sancta evangelia per mundum sparsa, in quibus penitus nil vanum, nil indecens invenitur. Sitis nunc contenti paucis, quae videtis, et paravi vobis pueris meis, qui dixistis: Pulmentarium non habemus, sed nec avem assam nec pullum aromatibus

coctum, quae pertinent ad gulosos, non ad religiosos et devotos fratres et sorores; sed gaudete simplici cibo, pane et pisce gratia Dei vobis pie concessis. Sed forte haec non sufficiunt vobis propter hospites adventantes et pauperes mendicantes, quos spernere non debetis, sed fovere et consolari pro posse. Ideo dico vobis, ne pusillanimes sitis, quando parum habetis, sed in me confidentes afferte de piscibus, quos prendidistis nunc in magna copia et cordis laetitia.

Hoc audito statim ascendit Simon Petrus ad oboediendum alacris et promptus et traxit rete iuvantibus sociis in terram plenum magnis piscibus centum quinquaginta tribus. Et mirati sunt omnes gratias agentes Deo Patri et tibi, Filio eius Iesu Christo, quem praesentem viderunt et per Spiritum sanctum cognoverunt. Et ideo nemo audebat interrogare a te: Tu quis es, qui nobiscum hic stas et loqueris et comedis? Sciebant enim omnes veraciter, quia tu es Dominus noster Iesus Christus, qui resurrexisti de sepulchro clauso vivus et immortalis et manifestasti te nobis.

Laudo et regratior tibi, Domine Iesu Christe, omnium devotorum dilecte amice, dulcis hospes animae hilaris, conviva inter fratres et amicos tuos, pro tam bono

prandio et sociali convivio, quod parasti dilectis discipulis tuis post multum laborem in piscando fatigatis invitando eos ad prandendum et ministrando eis manu tua panem ore tuo benedictum et piscem similiter igne assatum, caritate fervidum, spiritali dulcore intus saporosum. O quam dulciter sapiebat ille cibus, ubi Iesus fuit coquus et minister mensae et refectorarius.

Et quid dicam amplius? Vere multum iucundum fuit hoc convivium, quod tunc habuit Iesus cum discipulis suis, sed multo excellentius, dignius et iucundius est sacrum convivium pretiosi corporis et sanguinis eius, quod cotidie in ecclesia celebratur, in quo ipse Iesus sumitur et non consumitur, recolitur memoria passionis eius, quam sustinuit pro omnibus nobis, mens impletur gratia ex praesentia Iesu in cordis iubilo, quae arida est et frigida saepe in semet ipsa. Sed et futurae gloriae pignus datur animae devotae in hoc sacro convivio pro solacio et nutrimento spiritualis vitae in hac peregrinatione, donec Christus veniat et accipiat eam ad se de omni labore et dolore praesentis miseriae in aeternam requiem cum istis sanctis discipulis eius in domum Patris sui, ubi non esuriat neque sitiat, sed cum eo gaudeat in

aeternum. Invite avellor ab ista bona et iucunda societate sanctorum et a dulci convivio Iesu cum discipulis suis in litore maris. Cupio enim et peto ex intimo cordis mei affectu, ut unus ex minimis Iesu dilectis discipulis efficiar in praesenti saeculo per contemptum mundi et omnium labentium rerum abrenuntiationem non meis meritis et laboribus, sed gratia Dei et miseratione Domini mei Iesu Christi, quatenus et in futuro regno eius merear ab ipso visitari, consolari et cum omnibus sanctis laetari et beatificari in gloria. Amen.

[CAPITVLVM XX.]

De dulciloquio Iesu cum sancto Petro et sancto Iohanne apostolo de amore eius.

Benedico et gratias ago tibi, Domine Iesu Christe, amator hominum benignissime et doctor parvulorum sapientissime, pro dulci colloquio cum sancto Petro de amore tuo praecipue tribus vicibus eum interrogando et parentis sui nomine dignanter vocando et specialiter exprimendo, de quo ipse admirari poterat et exultare vehementer. Quia cum ipso loquens solum de amore intimo quaesisti dicens: Simon Iohannis, diligis me plus his?

Laudo et honorifico te, dignissime Iesu, pro ineffabili bonitate et mansuetudine tua, quod non improperasti sancto Petro peccatum suum in te graviter commissum, sed potius dilectionem eius erga te quaerendo excitasti eum ferventius, quam tamen perfecte sciebas et eandem ibidem existentibus fratribus innotuisti. Insuper et quantae dignitatis et sanctitatis esset Petrus apud te in perfecta dilectione tua habendus etiam post lapsum, iam toti ecclesiae per orbem declarasti. Ne forte aliquis lapsus, se neglecto, irreverenter cogitaret de eo, cum quo tu, Domine, tam caritative locutus es et comedisti.

Laudo te et recommendo valde sanctum Petrum, apostolum tuum, patronum meum propter te, pro recta et libera responsione eius ad verba tua omissa omni praesumptione et incauta locutione prae aliis multis in amore se ipsum praeferendo docens me et omnes humiliter sentire, provide cogitare, sapienter ad quaesita respondere et ad obiecta veraciter et constanter fidem Christianam confiteri. Dixit ergo tribus vicibus ad honorem sanctae Trinitatis, quia ter negavit timendo, iterum trina voce loquendo, toto corde credendo, in nullo dubitando: Amo te, amo te, amo te. Quid plura? Etiam, Domine, tu scis, quia amo te.

O sancte Petre, quid dicis, si homines tibi non credunt, qui cor tuum non vident? Loquor ergo ad Dominum meum et omnibus audientibus clamo et constanter profiteor corde et ore: Domine, tu omnia nosti, tu scis, quia amo te. Domine, probasti me et cognovisti me; tu cognovisti sessionem meam, quando te negavi; tu cognovisti resurrectionem meam, quando amare flevi et vere paenitui. Indulsisti, indulsisti mihi, Domine, quia peccavi tibi. Indulsisti mihi omnia, propter nomen sanctum tuum, quoniam suavis est misericordia tua, et miserationes tuae multae super omnia opera tua a saeculo et usque in aeternum.

Laudo et glorifico te, Iesu suavissime, pro fideli et diligenti commendatione agnorum et ovium tuarum sub manu et pastorali custodia dilecti amatoris tui sancti Petri apostoli, quem de captura piscium vocasti ad curam animarum et regimen omnium ecclesiarum, de navicula ad cathedram episcopalem, de vilibus retibus ad regale sacerdotium, de pauperibus parentibus ad Romanum et papale officium, quod nulli sanctorum ante eum praestitisti. Nam ex magna misericordia tua et sola gratia bonitatis tuae largiente in locum sanctae sedis tuae cum plenitudine potestatis tuae

super omnes sedes ecclesiarum et iura regnorum ipsum tamquam fidelem et verum vicarium tuum constituisti non ad destructionem aut laesionem alicuius agni novelli et infirmae oviculae sibi commissae, sed ad defensionem et consolationem, ad instructionem et salvationem omnium fidelium maiorum et minorum per totum orbem terrarum. Ideoque vivae vocis oraculo eidem Petro sollicite praecepisti atque omnibus aliis praelatis hoc idem iniunxisti dicens: Pasce agnos meos, pasce oves meas parvas et magnas, divites et pauperes, quas redemi sanguine meo.

Memento, Petre, qualis fueris, antequam de navi vocarem te ad apostolicam dignitatem, et qualis nunc factus sis etiam post trinam negationem tuam per singularem misericordiam meam et gratiam ad ampliorem honorem et maiestatem. Ecce factus es omnium ecclesiarum summus pastor et rector non ad laudem tuam, sed ad meam et caelestis Patris mei et Spiritus sancti gloriam iugiter quaerendam et subditorum pacem servandam.

Laudo te, Iesu amantissime, pro optima collatione cum sancto Petro et sancto Iohanne tibi speciali amore dilectis, quia Petrum bene instructum ad

passionem crucis tuo exemplo roborasti, Iohannem vero, iuvenem dilectum, ad altiora et utiliora ecclesiae sanctae mysteria docenda et scribenda distulisti et in longa tempora pro solacio multorum fidelium provida pietate praeservasti. Idcirco Petro de Iohannis fine quaerenti breviter respondisti: Sic eum volo manere in corpore ad doctrinam totius ecclesiae et specialem curam matris meae, quam ei commendavi in cruce. Volo, ut diu vivat et scribat altissima quaedam de divinitate mea et de incarnatione, passione et resurrectione, prout oculis vidit et audivit ex ore meo valde frequenter, donec veniam ad eum personaliter et suscipiam eum ad me gaudenter. Quid hoc ad te, Petre? Tu me sequere; sequere me crucem sustinendo propter me, quia pro maximo honore tuo est, si passus fueris pro me simili morte in cruce.

His dictis et pacifice ordinatis finitum est convivium corporale, sed non spirituale, quod melius sentitur in devota meditatione et oratione quam in longa fabulatione.

Obsecro te nunc, piissime Domine Iesu Christe, optime medice languentis animae, ut inter varios fluctus et eventus huius flebilis vitae meae me gubernes

recto itinere usque in caelum gloriae tuae. Fuga a me longe ventum superbiae in legendo et cantando coram fratribus melioribus me in choro, sive in studendo et scribendo libros sacros pro conventu nostro me extollam aut comparem me doctioribus aut acutioribus in ingenio dono tuo eis dato, ne perdam fructum boni operis modo et in futuro aeternum praemium apud te in caelo.

Conserva etiam me in tempestate valida ab ira et indignatione fraterna, ut studeam aliorum mores et lapsus pie sufferre et sicut proprios defectus excusare, sicut tu, Domine, bene docuisti discipulos tuos diu et saepe eos portando et ad perfectiora mansuete admonendo.

Da mihi te et sanctum Petrum sequi per crucem laborem corporis et dolorem cordis patienter ferendo usque ad mortem.

Praesta mihi indigno peccatori ex magna misericordia tua cum sancto Thoma, veridico et fideli apostolo, tangere et palpare mentaliter sacrosancta vulnera tua et cotidie ea meditari in missa, in cella, in mensa, in omni loco et tempore pro gratiarum actione et pro sancti nominis tui amore et sanctae crucis honore.

Concede etiam mihi cum sancto Iohanne apostolo puro corde et corpore te amare, sanctam Mariam matrem tuam sibi commissam specialiter venerari et sanctum evangelium eius libenter legere et audire et in pectore meo recondere et quasi supra pectus tuum quiescere, omnia terrena neglegere et secreta caelestia cum eo in Apocalypsi contemplari.

Esto etiam mihi, Domine, propitius, et beati Iacobi apostoli me defende praesidiis ab omnibus irruentibus vitiis. Conforta me in virtutibus et bonis moribus ad resistendum diaboli illusionibus blandis et amaris, qui tibi et sanctis angelis tuis valde contrarii sunt et despecti. Da quoque mihi supplantare superbiam mentis, frenare gulam ventris, custodire ostium cordis et oris cum ceteris sensibus meis. Da mihi, fili Dei, bibere calicem passionis tuae cum filiis Zebedaei in remissionem omnium peccatorum meorum et cum ipsis et omnibus sanctis tuis epulari tecum in regno caelorum. Amen.

[CAPITVLVM XXI.]

De apparitione Christi coram undecim discipulis in monte Thabor in Galilaea.

Benedico et gratias ago tibi, Domine Iesu Christe, rex caeli et terrae, qui montes ponderas, terram palmo concludis, qui sedes super Cherubim et Seraphim intuens abyssos, qui ambulas super sidera caeli et extrema terrae consideras et omnia cognoscis, antequam fiant.

Benedico, laudo et glorifico te pro illa laeta et gloriosa et alta apparitione tua in monte Thabor coram undecim discipulis tuis, sicut eis ante passionem tuam aperte et certe promisisti dicens: Scriptum est enim: Percutiam pastorem, et dispergentur oves gregis. Postquam autem resurrexero, praecedam vos in Galilaeam.

Primo igitur praedixisti eis duo valde tristia ad audiendum, dilectis amicis gravia, scilicet percussionem pastoris, te ipsum passurum designans a Iudaeis et deinde mox secuturam dispersionem gregis, ipsorum fugam et fletum prae timore poenae et mortis. Sed ne desperarent gravati pondere malorum, addidisti statim duo valde laeta consolativa

bonorum gaudia certificando eos de gloriosa resurrectione tua tertia die futura et apparitione iucunda in certo et notissimo ipsis loco, in monte Thabor in Galilaea constituto, in qua olim signa et miracula multa fecisti coram discipulis tuis et omni populo.

O Galilaea, terra sancta, Christi patria, in qua sita est Nazareth civitas florida dicta, quam inhabitavit et illustravit sua praesentia pia virgo Maria, ex qua prodierunt nobis salutis nostrae gaudia aeterna in sanctis evangeliis scripta.

Laudo et honorifico te, Iesu, pro tua magna clementia, quod ad certum et secretum sanctum locum invitasti venire discipulos tuos a saecularibus tumultibus segregatum et ad divina audienda mandata aptum et electum, in quo prius coram tribus testibus idoneis, Petro, Iacobo et Iohanne aliis absentibus apostolis fuisti transfiguratus et a Patre voce de caelo lapsa magnifica claritate indutus et decoratus et ad roborandam discipulorum fidem ante passionem tuam secreta revelatione manifestatus.

Sed in hac apertissima apparitione post gloriosissimam resurrectionem tuam coram amplioribus discipulis tuis te manifestasti credulos confirmando, dubiosos certificando, omnes pie docendo

et laetificando de tua praesentia et de omnium rerum potestate a Patre tibi data in caelo et in terra. His auditis ex ore tuo merito te adorabant et glorificabant nomen sanctum tuum, qui praesentes erant, et solo tenus se prosternentes hymnum novum tibi Deo nostro cum maxima devotione dicere gaudebant, quia tam alta et mira tunc de sancta Trinitate cognoverunt, quae nemo plene exprimere sufficit. O praeclara et iucunda visio, o altissima et divina revelatio, o magnum et ineffabile gaudium in cordibus sanctorum apostolorum.

Laudo et glorifico te, dulcissime et mitissime Iesu, qui cum discipulis tuis locutus es valde benigne in monte revelando eis veram fidem sanctae Trinitatis et tradendo rectam formam verborum baptizandi fideles in aquarum flumine in remissionem peccatorum in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti. Amen. In quibus sane verbis credo me a fideli sacerdote baptizatum et a fidelibus parentibus in fide recta et catholica in sancta ecclesia instructum et educatum.

Gratias tibi, Christe, a quo omne bonum homini venit cum spe aeternae salutis, ad quam post finem huius vitae me perducere digneris et sanctorum meritis auxiliari atque de futuris gravissi-

mis purgatorii poenis liberare. Meum est orare, tuum est adiuvare. Ego fragilis sum et instabilis, tu pius et multum misericors, qui potes me ab omni dolore eripere et tecum in montem gloriae tuae perducere. O Iesu, tu salutare vultus mei et Deus meus, ad te clamo, suspiro et oro die et nocte, donec ad te perveniam secure sola gratia tua me iuvante, qui cum Patre et Spiritu sancto vivis etc.

[TRACTATVS ALTERIVS
PARS ALTERA.]

DE ASCENSIONE, PENTECOSTE ET ALIIS QVIBVSDAM.

ST. ALBERT'S COLLEGE LIBRARY

[CAPITVLVM I.]

De ascensione Domini et apparitione eius.

BENEDICO et gratias ago tibi, Domine Iesu Christe, rex gloriae, creator caeli et terrae, dominator angelorum et salvator hominum, detestator superborum et consolator humilium, qui triumphator hodie super omnes caelos et super omnia caeli luminaria, super Cherubim et Seraphim et super omnem angelicam dignitatem et creaturae altitudinem propria virtute videntibus discipulis tuis laeta facie et glorioso corpore amictus lumine sicut vestimento canentibus angelis in voce tubae et canore iubili ascendisti et viam aeternae vitae et gloriae victo mundi principe electis amicis tibi adunatis ostendisti, quos de mundo ad sequendum te per viam asperae crucis vocasti et confortasti.

O Domine Deus meus, quam admirabile est nomen tuum in universa terra.

Quam gloriose ingressus es, rex caeli, in regnum Patris tui. Cum quanta gloria et honore coronatus es super omnes sanctos tuos et in dextera Patris tui dignissime collocatus pro eo, quod in mortem tradidisti animam tuam et pro impiis mori dignatus es, ut vivificares populum tuum et consedere faceres eos ad mensam tuam in regno tuo, quod parasti eis ante originem mundi in misericordia et miserationibus tuis multis, non in meritis suis nec in virtutibus humanis. O quanta dignitas humanae condicionis, ut natura humana Deo unita in persona transcendat super omnem creaturam in caelo et in terra. Ideoque merito pro gratiarum actione et condigna laude in nomine tuo, dulcissime Iesu, omnes creaturae caelestium, terrestrium et infernorum flectere debent et tenentur curvare genua sua ante faciem tuam et adorare vultum gloriae tuae et osculari scabellum pedum tuorum et super omnia gloriosum ac sanctum nomen tuum exaltare et laudare in saecula.

Laudo et honorifico te pro tua benigna visitatione et ultima apparitione coram recumbentibus discipulis tuis in cenaculo congregatis, de te devote loquentibus et praesentiam tuam maxime videre cupientibus, qui inter prandendum pro

singulari solacio suo te adesse gaudebant. Quotiens enim conveniebant ad edendum et colloquendum, praeibat sermo de Deo, de regno Dei, de pace, de caritate, de virtutibus et animarum salute; de cibariis vero et poculis apponendis minor cura et posterior cogitatio fuit. Omnia siquidem communiter habentes privata et exquisita fercula non quaerebant. Dives enim et sufficiens est communis vita sanctorum; quaerentes autem propria amittunt communia bona raro contenti ab intra.

Laudo te praecipue, aeterne rex altissime, pro caritativa illa convivatione cum pauperculis illis apostolis tuis, non cum regibus et principibus sacerdotum nec cum divitibus saeculi, quibus odio fuisti tu et discipuli tui, quos de mundo elegisti et a consortio pravorum separasti.

Gratias tibi, quia, antequam ascenderes ad caelos, visitasti et confortasti pusillos et timidos discipulos tuos inter saeculi fluctus relictos, quibus multa secreta caelestia revelasti de praeteritis et futuris, ut consolati verbis tuis non deficerent in adversis pro nomine tuo sustinendis.

Laudo et glorifico te, Domine Iesu Christe, doctor optime super omnes doctores theologiae, pro omni verbo, quod

locutus es discipulis tuis et coram omni populo aperte et obscure cum multis pulcherrimis et mysticis parabolis tuis et de planis doctrinis pro capacitate auditorum, pro recta interpretatione et clara expositione divinorum eloquiorum in libris Moysis et prophetarum perhibentium tibi testimonium verum de omnibus sanctis operibus tuis et gloriosis miraculis, quae praesens in mundo gessisti et per mundum praedicare iussisti.

Laudo et magnifice benedico te, amantissime Iesu Christe, pastor aeterne, pro bona custodia humilis et pauperis gregis tui in medio nationis pravae constituti, quos in cenaculo visitans hodierna die cum laetitia post instructionem et increpationem de duritia incredulitatis extra Ierusalem eduxisti in montem oliveti ad videndam apertam et praeclaram ascensionem tuam ad caelestem Patris tui gloriam post huius vitae longam peregrinationem et omnis iustitiae et perfectae oboedientiae consummationem debite adimpletam. Vbi tunc etiam praesente sanctissima matre tua cum devotissima Maria Magdalena et aliis mulieribus et discipulis tibi dilectis locutus es eis denuo cum multa diligentia utilem sermonem de regno Dei et contemptu mundi et de expectatione futurae gratiae et de

adventu Spiritus sancti post paucos dies reprimendo quorundam curiosam quaestionem de fine mundi ad eos non pertinentem.

His dictis data benedictione sacris manibus et valedictione oris expleta elevatus es cum glorioso corpore virtute divina in alta caelorum habitacula sanctorum occurrentibus tibi et concinentibus innumeris angelorum turbis atque congaudentibus in organis et citharis universis caelicolis cum omnibus patriarchis et prophetis et antiquis iustis, quos de manu inferi valenter redemisti et in paradisum voluptatis usque ad hanc diem quiete collocasti. Cum omnibus ergo istis tam decoris et laetis sanctorum agminibus ascendisti laetanter, patenter, potenter et praecellenter ad regale et arduum caelorum solium ab aeterno tibi soli dignissime praeparatum.

Laudo et multipliciter regratior tibi, unice fili Dei, pro caelesti ista et perpetua benedictione, qua benedixisti sanctissimam matrem tuam et omnes sanctos apostolos tuos et ceteros discipulos tuos in montis oliveti vertice congregatos, ubi steterunt pedes tui, et pro memoriali nominis tui reliquisti sacra pedum tuorum vestigia, ut fertur, terrae impressa.

Quapropter nunc flexis genibus adoro, collaudo et exoro suppliciter te, Dominum meum, regem gloriae, osculando imaginem sanctae crucis, faciendo crucem super terram vel asserem in signum amoris tui et pro solacio cordis mei in praesenti exilio. Congratulor enim tibi in omnibus et pro omnibus sanctis tuis de maxima laetitia et sollemnitate hodierna, qualis non est prius visa nec audita ab aliquo in caelo et in terra, quia iam elevata est humana natura in Patris dextera maiestate perpetua. Amen.

[CAPITVLVM II.]

De apparitione angelorum in albis vestibus.

Benedico et laudo te, dulcissime Iesu Christe, et gratias refero tibi devote in hoc sancto die, quia post recessum tuum ab apostolis et introitum cum angelis in caelis misisti duos angelos, caelestis curiae legatos albis vestibus amictos, ad consolandum orphanos tuos post te in caelum aspicientes, sed sequi non valentes; qui et dixerunt eis: Viri Galilaei, quid statis aspicientes in caelum? Quid admiramini super hoc miraculo stupendo numquam viso? Deus omnia potest, Deus factus homo ascendit

in iubilo, sicut prophetatum est de eo in psalmo. Vos ergo, quae audistis et vidistis, aliis praedicare debetis et testificari, sicut iussum est vobis. Hic itaque Iesus, qui assumptus est a vobis in caelum, sic veniet iterum, quemadmodum vidistis eum euntem in caelum. Veniet autem tunc cum magna potestate et gloria ad iudicandum vivos et mortuos, qui modo humilis et mitis apparuit apud vos in terra, ut perduceret humiles se sequentes ad caelestia regna.

Recordare nunc, obsecro, mei pauperis, carissime Iesu, in gloria tua. Recordare et miserere mei exulis et peregrini in hac valle lacrimarum derelicti, gementis et eiulantis inter varias temptationes et inquietudines vitae praesentis cor meum a caelestibus bonis saepissime retrahentes. Trahe ergo me post te, Iesu felicissime, ut sequar te passibus sancti desiderii et ferventis amoris, qui non possum te sequi pedibus corporis. Sequar te per viam humilitatis et humanitatis tuae, qui non sum dignus et aptus te videre in altitudine divinae maiestatis.

O beata visio, videre Deum clare in semet ipso, sicut videtur ab angelis et omnibus sanctis iam perfecte in caelo. Et nunc scio vere, quia numquam satiari potest nec quietari poterit totus

appetitus meus in aliquo bono terreno, nisi fuero tibi Deo meo coniunctus in caelo et liberatus ab omni malo. Ideo autem praecessisti me ad Patrem praeparando viam et locum manendi tecum et impetrando mihi veniam peccatorum per cicatrices vulnerum tuorum, ut habeam fiduciam magnam nunc et in futuro coram te de multitudine miserationum tuarum et magnitudine meritorum tuorum cum precibus omnium sanctorum et angelorum.

Ah Iesu bone, noli me relinquere. Tu amor meus et desiderium animae meae, salvator meus et redemptor meus, spes mea a iuventute mea, expectatio mea et tota fiducia mea usque in senectutem, qui fecisti in virtute tua mirabilia magna. Diligam te et laudabo te super omnia cum omnibus sanctis tuis pro omnibus bonis tuis regratiando tibi intime, quamdiu fuero peregrinus et exul in hac terra peregrinationis meae.

Eia nunc revertere, anima mea, cum Maria, matre Iesu, et apostolis eius a monte oliveti in Ierusalem quaerendo pacem cordis et quietem ab omnibus saeculi curis. Ascende autem cum eis in cenaculum grande, ubi pascha vetus terminatum est et novum institutum per venerabile sacramentum corporis Christi apostolis datum et commendatum. Re-

collige te igitur seriose manendo in silentio et solitudine, vacando Deo in oratione et sacra meditatione et praepara te erga festum pentecostes iam futurum ad recipiendum Spiritum sanctum cum apostolis in maiori fervore, qui relicto omni solacio terreno expectabant in secreto cenaculo novum gaudium a Christo de caelo. Rememorare interim beneficia Dei a principio mundi usque modo et praecipue conferendo cum beata virgine Maria de incarnatione Christi omnia verba et opera Iesu, filii sui, in evangeliis descripta a die nativitatis eius usque in praesentem diem gloriosae ascensionis eius ad Patrem, non tamen deserendo dilectam matrem suam, quam specialiter reliquit pro solacio infirmorum, ad confortandum in fide apostolos et ceteros fideles, quia plenius et certius cognovit omnia gesta et miracula, quae fecerat Iesus in terris.

[CAPITVLVM III.]

De missione Spiritus sancti in discipulos Christi in festo pentecostes.

Benedico et gratias ago tibi, Domine Iesu Christe, benignissime confortator aegrorum, suavissime visitator infirmorum ac fortissime adiutor tribula-

torum, pro tua fidelissima promissione caelestium donorum ab alto caelorum habitaculo et a Patre luminum et pro immensa largitate tua et mirifica effusione multiformis gratiae Spiritus sancti in discipulos tuos in Ierusalem congregatos, ubi erant pariter in cenaculo sedentes et orantes et consolationem Spiritus sancti de caelo desideranter expectantes; non de mundo cogitantes, sed sicut religiosi claustrales a tumultibus saeculi separati in quiete et silentio manentes, omnes terrenas curas de cordibus abicientes et supernis ac aeternis bonis intendentes ad ampliora charismatum dona percipienda devotis precibus se praeparabant.

Laudo et glorifico te, dignissime Iesu Christe, rex sanctorum angelorum, pro iucundissima huius diei festivitate et pro sollemni benedictione et sacerdotali consecratione sacri fontis et baptismatis in virtute Spiritus sancti, in quo omnes fideles baptizati in nomine sanctae Trinitatis a peccatis omnibus mundantur et aeternae vitae participes efficiuntur nec non caelestis regni heredes et angelorum consortes computari per gratiam Spiritus sancti merentur.

Laudo et honorifico te, qui hanc sacratissimam diem multis miraculis, signis et donis adornasti et perpetuis tempori-

bus a fidelibus tuis iucunda devotione celebrari iussisti. In hac siquidem die olim primitus per Moysen data est lex in monte Sinai populo tuo Israel egresso de terra Aegypti a gravi onere servitutis liberato ad sacrificandum tibi in deserto, cui etiam dedisti dulce manna edere de caelo. Ob cuius memoriam perpetue recolendam praecepisti singulis annis in hac honorabili die novum sacrificium de novis frugibus terrae pro gratiarum actione tibi offerri.

Sed nunc in novo testamento, postquam in caelum supra altitudinem angelorum potentissime ascendisti, ampliori gratia et munere hunc sanctum diem illustrasti, benedixisti et consecrasti et pro dulci manna misisti apostolis tuis Spiritum sanctum visibili signo de caelo cum sonitu magno apparentibus igneis linguis supra singulos eorum, ut essent intus caritate fervidi et foris ad loquendum prompti et facundi, audenter omnia proferentes, prout Spiritus sanctus inspirabat et dabat eloqui illis magnalia opera tua, quae operatus es gloriose in terra sancta pro salute nostra. Erant enim multa valde et hominibus incapabilia, Deo autem omnia possibilia et facillima. Tunc impletum est, quod praedixit Isaias nobilis propheta dicens: De Sion exibit lex,

et verbum Domini de Ierusalem. Numquam sunt audita talia mirabilia, sicut die hodierna, quod una die tam multi fideles viri et mulieres acciperent Spiritum sanctum visibili signo in igneis linguis et prophetarent verbis apertis et intellegerent scripturas divinas et loquerentur omnium linguarum et nationum vocibus, et quod homines sine literis et studio librorum in schola Dei tam cito et perfecte a Spiritu sancto docti fierent et cum donatione scientiarum multarum, etiam miraculis et prodigiis multis coruscarent.

O admirabilis et inenarrabilis virtus Spiritus sancti, qui omnes, quos visitat et replet, ferventes facit et doctos, humiles et devotos, laetos et fortes. Nam nulla mora in discendo est, ubi Spiritus sanctus doctor internus adest revelans secreta caelestia parvulis, prout noverit eis expedire ad salutem et aliorum utilitatem. Ipse docet praecipue discipulos suos et secretos amicos mundum contemnere, superbe non sapere, sed humilibus semper consentire, sibi ipsis vilescere, honores fugere, defectus suos inspicere et plangere, cito emendare et sine fictione humiliter confiteri, quidquid remordet et latet in conscientia confessione dignum et Spiritui sancto con-

trarium, quantumcumque videatur homini leve vel parvum.

[CAPITVLVM IIII.]

Oratio ad regratiandum Christo pro sua incarnatione, passione, resurrectione, ascensione et Spiritus sancti missione cum ampliori largitione donorum.



dulcissime Domine Iesu Christe, amator aeternae salutis meae, ego pauper et infirmus homo omni consolatione et omni bono indignus benedico te et glorifico sanctissimum nomen tuum cum omnibus sanctis et electis tuis in aeternum. Et praecipue regratior tibi, Deo meo, quia ex magna caritate et misericordia tua voluisti propter me homo fieri et naturam meam assumere et supra usum naturae de Spiritu sancto concipi et de pura virgine Maria mirabiliter nasci, lactari et nutriri, circumcidi et in templo offerri, ut me ab omni impuritate mentis et corporis purificares et sobrie, pie ac caste omni tempore vivere doceres.

Adhuc amplius regratior tibi pro sacratissima atque amarissima passione tua per singulos dies et omnes horas vitae meae, quia pro me dignatus es pati, crucifigi, mori et sepeliri, ut innocenti morte tua ab aeterna morte me liberares

et ad patienda adversa exemplo tuo confortares.

Iterum laetissime regratior tibi, quia pro consolatione mea resurrexisti tertia die de sepulchro et apparuisti discipulis tuis cenaculo clauso cum gaudio magno, ne ego desperem in tribulatione mea vel in aliquo damno et periculo, sed habeam in te bonam confidentiam de malo praesenti liberari et firmam spem in novissimo die per te resuscitari cum electis in vitam aeternam.

Rursum devotissime regratior tibi congaudendo intimo corde et ore de sollemni processione et gloriosa ascensione tua in caelum in praesentia sanctae matris tuae et aliorum discipulorum tuorum; quia praecessisti ante me parare locum apud te et aperire mihi portam regni caelestis per passionem et crucem tuam, ubi iam vivis et regnas in aeterna gloria Patris tui cum angelis, donec iterum redeas iudicare vivos et mortuos in fine saeculi, sicut docuerunt nos duo sancti angeli albis vestibus induti pro laetitia huius sancti festi, qui tunc apparuerunt discipulis tuis sursum aspicientibus post te ad sidera caeli. O quam beati oculi, qui te in carne videre meruerunt, et quam beatae aures, quae te audierunt loquentem de regno Dei, quo nihil

iucundius potest audiri nec felicius possideri.

Pro me igitur ascendisti in alta caelorum super omnes ordines angelorum, ubi est habitatio beatorum regnantium iam tecum in maxima gloria, ut tota spes mea sursum tendat et ad te suspiret et in infimis non remaneat nec delectari quaerat. Nam totum vanum et lubricum, totum perditum et nihilum, quod Deus meus non est. Totum etiam spernendum et abiciendum, quidquid a Deo meo me retrahit et devote orare et contemplari caelestia impedit.

Ideoque obsecro te, piissime Iesu, rex aeternae gloriae, memento mei pauperis in regno Patris tui et mitte nunc mihi de caelo Spiritum sanctum paraclitum pro vero solacio cum novo fervore et ampliori largitione donorum Spiritus sancti. Amen.

[CAPITVLVM V.]

Oratio de donis Spiritus sancti contra diversos morbos animae.

Veni, veni, sancte Spiritus, cum omnibus donis tuis et repelle a me satanam cum omnibus phantasiis suis, distrahentem me saepius in orationibus meis et meditationibus devotis.

Veni, auster suavissime, perfla hortum cordis mei calidissimo amoris tui igne et omnem carnalem affectum in me extingue, ut fluant aromata gratiarum cum imbre lacrimarum ex magna compunctione peccatorum meorum et cum dulci recordatione omnium beneficiorum tuorum. Veni, consolator optime, et de barathro nebulosae tristitiae erige me splendore internae laetitiae cum spe aeternae quietis pro parvo labore. Contra taedium mentis confirma me verbis tuis in hymnis et psalmis. Contra motum irae praesta mihi, Deus, scutum patientiae. Contra tumorem superbiae incute mihi metum mortis et aeternae gehennae. Quis enim non timebit potestatem irae tuae et poenam sine fine? Contra vanam gloriam et iactantiam fac me attendere propriam infirmitatem et aliorum virtutes. Contra levitatem verborum doce me servare silentium. Contra dissolutum risum produc ab oculis meis cum gemitu fletum. Melius est enim acriter flere quam inaniter ridere. Contra curiosum et vagum visum propone mihi Iesum pro me crucifixum. Contra ornatum vestium ostende mihi putredinem vermiculorum. Contra carnis appetitum aperi mihi sepulchra mortuorum. Contra vini poculum propina mihi fel Christi et acetum. Contra

vanos saeculi rumores narra mihi divinos sermones. Contra longas fabulas obstrue mihi cito aures, ne intret venenum per fenestras.

Contra exitus per officinas et plateas liga vinculo timoris tui manus meas et pedes, ne incidam in varias temptationes. Contra malam tristitiam et acediam infunde mihi sanctae unctionis tuae gratiam. Contra sinistram de aliquo suspicionem inspira mihi meliorem de proximo aestimationem. Contra iniuriam mihi factam da mihi sustinentiam et cavere vindictam, ne perdam in caelo gloriae coronam patientibus promissam. Contra varios animae meae morbos profer mihi salubres virtutum tuarum species et sanctorum doctorum flores. Contra malam consuetudinem meam da mihi facere naturae violentiam propter vitam aeternam. Contra laboris gravitatem tribue mihi tenere cordis tranquillitatem per devotam orationem. Contra diffidentiam in multis adversis da mihi habere bonam in te confidentiam de maxima pietate tua et in sanctorum meritis, o benigne sancte Spiritus, adiutor in tribulationibus. Amen.

[CAPITVLVM VI.]

Oratio pro devotionis gratia in divino officio impetranda et alacri laude angelorum in caelo.

O doctor doctorum sapientissime, o omnium medicorum magister optime, Spiritus sancte paraclite, tu uno verbo et in momento potes inscios docere et omnes languores corporis et animae perfecte sanare. Adesto, quaeso, mihi propitius in omni loco et tempore et devotionis gratiam in orando, meditando, cantando et legendo cordi meo clementer infunde, ut possim devote et attente horas meas ac vota complere, quia sine te preces omnes cassae et indignae Dei auribus creduntur esse, et sine te nihil boni valeo perficere. Tu ergo supple pro me per gratiam tuam, in quibuscumque deficio per infirmitatem meam. Igitur contra nocturnum timorem et diaboli temptationem da mihi fidei donum et sanctae crucis signo tamquam invincibili scuto me protege, ne praevaleat contra me hostis malignus, insidiator animae meae hic et ubique. Contra longas noctis vigilias cum longioribus lectionibus da mihi pensare, quam magna praemia nunc possum promereri in caelis.

Contra frequentes abstinentias a cibis et potibus praesta mihi virtutem ieiunandi cum valetudine laborandi, veniam pro peccatis commissis, custodiam pro futuris, refrigerium a poenis debitis, spem aeternae beatitudinis in regno Dei cum electis. Contra pigritiam in divino officio excita me cum cantico in psalterio et cithara per Davidica verba a Spiritu sancto edita et aperi mihi absconditum manna in arida litera et pretiosa aromata in vili pyxide clausa. Multa quidem secreta panduntur devote oranti et seriose advertenti, quae vaganti et pigritanti iuste occultantur. Contra somnolentiam in matutinis trahe me per aurem durius, ut evigilem citius ad audiendum, quid loquatur mihi Dominus in scripturis sanctis, in hymnis et canticis suis ad erigendum cor meum ad Deum meum in caelis et obliviscendum ea, quae geruntur in terris.

Repelle a me omnem torporem corporis et aperi mihi aurem cordis, ut in ecstasi mentis merear per Spiritum sanctum contemplari secreta caelestia et audire voces sanctorum angelorum laudantium et psallentium devotissime laudes Deo in excelso throno. O utinam essem unus ex eis in caelo ad cantandum ibi cum eis: Sanctus, sanctus, sanctus in choro. Hi numquam torpescunt nec a laude

creatoris sui cessant, quia Spiritu sancto pleni fervent amore, fulgent niveo candore, fragrant aromatico odore, cantant hilariter, tractim, suaviter. Intonant pariter, iuvant fortiter, pausant aequaliter, iubilant amabiliter, gaudent delectabiliter, excedunt semet ipsos in Deo ineffabiliter.

Quis ergo poterit dormitare in choro prae taedio pensato tam felici et magno gaudio angelorum in caelo? Quis non evigilaret ex resonantia caelestium organorum et concordia multorum musicorum simul canentium: Sanctus, sanctus, sanctus per omnia saecula saeculorum? Vbi cardines caeli ex alto clamore angelorum moventur, homines viles tacebunt? Quando lapides caelestis templi clamant, et ordines novem Deo iubilant, monachi et moniales dormitabunt? Ecce sol et luna lucendo Deo serviunt, et vos dormietis? Absit. Evigilate iusti, ait beatus Paulus, et nolite peccare. Nolite dormitare neque pigritari neque festinare neque discordare, sed cum omni reverentia et devotione state et cantate et ad laudem Dei hostias vociferationis cum gratiarum actione concorditer immolate. Placet enim Deo iucunda labiorum laudatio, si concors est vox foris et intus purae mentis attentio. Nam optima iu-

cunditas in conviviis et maxima dulcedo in organis et cantilenis est concordia in vocibus, hilaritas in vultibus, honestas in moribus.

O quam pulchra et sancta societas, ubi Spiritus sanctus adest magister, et inter fratres invenitur caritas in corde, veritas in ore, pietas in opere, pax utrobique sine fictione et fraudis timore. Haec est vera fraternitas, quae numquam poterit violari certamine nec frangi labore nec vinci gravamine, quia caritas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est humilibus, contritis, egenis, mansuetis, pacificis et ad omne opus bonum et laudem Dei die ac nocte paratis. Haec sunt opera Spiritus sancti, qui adhuc multa bona opera operatur in fidelibus suis dividens singulis, prout vult, si se ad gratiam aptant et diligenter in omni actu et cogitatione cor suum custodiunt. Magnus et fortis est labor ab evagatione cor in oratione restringere et mentem cum Deo in spirituali contemplatione unire. Etsi Spiritus noster saepe in bonis deficit et in malis tabescit ac vanis intendit, Spiritus sanctus tamen iterum adveniens cor nostrum arguit, compungit, vulnerat, ungit et sanat. Ipse docet et illuminat, humiliat in defectibus cotidianis et sublevat consola-

tionibus internis, irrigat crebris precibus et lamentis purgat amaris.

O omnium fidelium sanctificator, rector et custos omniumque peccatorum remissor et innocentiae restitutor ac tristium consolator, Spiritus sancte Deus, o misericors et miserator Domine paraclite, pusillorum consolator piissime, converte mihi omne malum in bonum et bonum semper in melius, luctum in gaudium, errorem in rectitudinem, ignorantiam in veri cognitionem, teporem in fervorem, timorem in amorem, omne corporale bonum in spirituale donum, omne terrenum in caeleste desiderium, omne transitorium in aeternum, omne humanum in divinum, omne creatum et finitum in summum et infinitum ac immensum bonum, quod tu es, Deus meus et salvator meus. O vera ac aeterna salus mea, Deus meus, custodi me ab omni malo praesenti, indulge praeterita et a futuris eripe periculis per largam gratiam sancti Spiritus, quam infudisti hodie copiosa benedictione apostolorum cordibus ad praedicandum verbum tuum in omnibus gentibus. Amen.

[CAPITVLVM VII.]

De praedicatione apostolorum et divulgatione sanctissimi nominis Domini nostri Iesu Christi in toto orbe terrarum pro salute hominum.

Benedico et gratias ago tibi, Domine Iesu Christe Nazarene, fili Dei altissime, super omnes sanctos et sanctas aeternaliter benedicte, quia hodie adveniente Spiritu sancto in igne visibili, quem misisti in terram, ita accensa sunt corda fidelium invisibiliter in tui sancti nominis amore et laude, quod mox per beatos apostolos tuos hoc idem nomen tuum super omnia nomina sanctorum a Patre clarificatum abiecto timore inceperit publice praedicari, laudari, dilatari et magnificari et coram omni populo in Ierusalem et in gentibus palam annuntiari et de die in diem exaltari, honorari et adorari.

Denique crescente numero discipulorum tanta devotio orta est et dilectio fraterna inter omnes fideles viros et mulieres, ut una esset fides mentium et pietas actionum, et omnes haberent cor unum et animam unam per veram caritatem in Deo, non quaerentes singuli, quae sua sunt, sed quae Iesu Christi, et

omnia propria fierent communia in sancta primitiva ecclesia in Spiritu sancto congregata. Tanta quoque fuit laetitia, pax et concordia inter eos, ut nemo aliquid suum esse diceret nec tamquam proprium quicquam possideret, sed omnes omnia in Deo communiter habere et distribuere egentibus gauderent. Hanc autem sanctam et caelicam vitam sancti apostoli primitus ab ipso Domino nostro Iesu Christo didicerunt ac deinceps observare curabant et usque ad finem vitae suae pro fide Iesu Christi moriendo retinebant.

Laudo et benedico te, sancte Pater, omnipotens sempiterne Deus, cum unigenito Filio tuo et Spiritu sancto paraclito pro omnibus beneficiis tuis et spiritualibus donis, quae olim electis amicis tuis et sanctis patriarchis et prophetis exhibuisti, quibus per Spiritum sanctum secreta sapientiae tuae et iudicia oris tui et praecipue mysterium incarnationis tuae verbis et signis diu ante revelasti. Sed post adventum tuum, pie Iesu, multo plura abscondita scripturarum per temet ipsum addidisti et clarius ea exposuisti et, quae parvuli capere necdum poterant, usque ad Spiritus sancti missionem pie distulisti. Et quod amplius mirandum est et laudandum, rudes apostolorum animos

igne sancti Spiritus subito inflammasti et supra mundi sapientes a saeculi vanitate electos et tibi devotos perfecte intus docuisti et ad convertendum universum mundum confortasti.

Laudo et glorifico te, illustrissime Iesu Christe, illuminator et reparator totius generis humani, pro conversione et congregatione multorum populorum, quos ex diversis partibus mundi et diversis linguis nationum in unitatem fidei catholicae et apostolicae doctrinae congregasti ad collaudandum dulcissimum et sanctum nomen tuum in hymnis et psalmis et canticis spiritualibus in omnibus locis et ecclesiis ac monasteriis religiosorum et ordinum diversorum convenientium ad hanc sanctam sollemnitatem Spiritus sancti devotissime celebrandam. In qua multa mirabilia, quae in his diebus facta sunt, recitantur in ecclesia audiente etiam communi populo cum principibus et optimatibus divina, quae Spiritus sanctus operatus est pro salute credentium ab initio saeculi in terra et usque ad iudicii diem non desinet operari. Si enim Deus pro nobis, quis contra nos? Vnde in psalmo Spiritus sanctus omnes fideles hortatur dicens: In ecclesiis benedicite Deo Domino de fontibus Israel. Ibi Beniamin adulescentulus in mentis ex-

cessu contemplando caelestia et deserendo omnia terrestria.

Beati servi illi, qui ad divinas laudes alacriter properant et cum angelis Deum benedicere gaudent; beati, qui exteriora despiciunt et integre cor suum ad Deum convertunt, ut Spiritus sancti gratiam accipiant, per quam omnem carnalem amorem vincant et diabolo resistant. Maior enim et fortior est virtus et gratia Spiritus sancti in bono, quam spiritus malignus in malo.

Benedico et laudo te, optime Iesu, pro magna gratia et sapientia data apostolis tuis ad praedicandum verbum tuum cum fiducia coram omnibus habitantibus in Ierusalem et Iudaea et Samaria et usque ad ultimum terrae et maxime pro constantia et perseverantia eorum, qui in persecutione civium suorum manserunt constantes in fide, gaudentes pro nomine tuo contumeliam pati, incarcerari, verberari, fame torqueri ac diversis poenis cruciari. Omnia haec levia et pauca videbantur pro corona aeternae vitae et magnitudine futurae gloriae, sicut et beatus Paulus dicit: Non sunt condignae passiones huius temporis ad futuram gloriam, quae revelabitur in nobis, quam mihi praestare digneris, amantissime Iesu, fili Dei, tua piissima misericordia et Spiri-

tus sancti immensa gratia post huius vitae luctuosa et periculosa certamina per gratissima omnium sanctorum tuorum suffragia gloriosa, qui cum Patre et eodem Spiritu sancto vivis et regnas Deus trinus in personis, unus in essentia, aequalis in gloria per infinita saecula saeculorum. Amen.

[FINIS.]

EPILEGOMENA.

A. SVBSIDIA CRITICA[1]

in hac nova Thomae a Kempis Orationum et Meditationum de vita Christi ex duobus tractatibus constantium adornanda editione mihi praesto erant haec, quorum quae stellula insignivi, ambos tractatus, priorem reliqua complectuntur.

I. CODICES MANV SCRIPTI MEMBRANACEI:

a.[2] Bibliothecae regiae Bambergensis 171. Ed. VIII. 1. 15 × 11,5 cm. 118 plagularum, 1 col., linearum 30—34, saeculi XV exeuntis. In plagulae primae pagina priore haec literis rubris scripta leguntur: Incipiunt deuotissime meditaciones et gratiarum- || actiones[3] de tota

[1] Maximam eorum partem enumeravi in commentatione programmati gymnasii Kempensis anni 1895 praefixa, quae sic inscribitur: „Über ein in Deutschland verschollenes Werk des Thomas von Kempen", quibus alia addidi in commentariis theologiae catholicae Aenipontanis, i. e. Zeitschrift für katholische Theologie, XX (1896), p. 551—565, ubi de eodem libro disserui.

[2] Notis *a*, *b*, *c* reliquisque posthac brevitatis causa utar.

[3] Ne typographo negotia facesserem, scripturae compendia dissolvi. Eademque de causa omnia typis Latinis vulgaribus describenda curavi.

vita mediatoris dei et hominum Ie- | su christi Et primo Oratio multum excitatiua ad lau- || dandum deum. || D[iam subsequuntur atramento scripta] Omine deus meus lau- || dare te desidero. Plag. 98 l. 27: cum ipso resurgas || in gloria Amen. Terminatur codex in plagulae 118 pagina altera his verbis: nec subticentes (sic) aliquid de veritate. || Laus omnipotenti deo || ab omni creatura in secula seculorum || Amen ||

Librum, qui olim fuit monasterii s. Michaelis archangeli prope Bambergam, descripsit Fridericus Leitschuh in Katalog der Handschriften der Königlichen Bibliothek zu Bamberg, Bamberg, Buebner, 1898, I p. 325.

b. Eiusdem bibliothecae 172. Ed.VIII. 4. 16,2 × 11,8 cm. 240 plagularum, 1 col., ll. 23—25, saec. XV exeuntis. Plag. 1, literis rubris: Incipit deuotissima contemplatio || qualiter sancti patres in lymbo deum exorauerunt || pro liberatione per filium suum. || C[literis atris]um sancti patres tenerentur capti in || lymbo, diabolus super eos tanquam super || seruos uolebat dominari. In plag. 17 extrema literis rubris: Incipiunt nunc deuotissime meditationes || de uita christi, et primo alia deuota medi- || tatio de angelica annunciatione et christi || iesu conceptione. Plag. 122 b literis rubris: INcipiunt deuotissime me- || ditationes et graciarumactiones de tota uita || mediatoris dei et hominum iesu christi Et pri || mo oratio multum deuota et excitatiua ad lau- | dandum deum. || [Literis atris:] (D)omine

deus meus laudare te desidero. Plag. 217 b l. 7: cum ipso resurgas in gloria Amen. [Literis rubris:] In die sancto pasche. Oratio | S(literis atris)alue dies sanctissima dies pre cunctis diebus nobilissima. Plag. 223 (lit. rubr.): Ein Christliche vorbetrachtung vnd bekantnusz || yn got szo man will etwas beten || O (lit. atr.) Ewiger got ich waysz vnd bekenn. Plag. 235 b l. 4 (lit. rubr.): Wen wir das hochwirdig sacrament nemen wol || len, szo sollen wir alzo gedencken vnnd sprechen. || E(lit. atr.)wiger barmhertziger got . . . Finis l. 12: gnediglich an nemen. Amen. Plagg. 236—239 vacuae sunt. Plag. 240 septem disticha latina continet Wolfii Zencki, abbatis monasterii s. Michaelis inde ab anno 1549—1564, unde hic quoque codex originem traxit. Cfr. Leitschuh l. l. Et quinque quidem priora disticha idem in Germanicum vertit, duobus posterioribus „anno 1550" praescripsit.

c. Bibliothecae principis Hohenzollerani Sigmaringensis saec. XV exeuntis, plagularum centum octoginta inscriptarum et quinque vacuarum, longarum 0,111, latarum 0,077 m, pag. 1 a sic incipiens (lit. rubr.): De utilitate vite domini nostri iesu cristi. S(lit. atr.:)i desideras perfecte || mundari a vicijs Si || . . . Pag. 1 b (lit. rubr.): Incipiunt deuote oraciones de | vita et passione cristi ad regraci- || andum deo pro beneficijs homini || collatis. Quarum prima est mul- || tum excitatiua. ad laudandum de- || um pro sua magnificentia . . . || Desinit p. 180 a sic: cum Christo

resurgas in gloria. Amen. || Expliciunt deuote oraciones et me- || ditationes de tota vita dulcis || iesu ad regraciandum ei pro bene- || ficijs hominibus collatis || [1] Nec a quo aut quo anno aut ubi scriptus sit nec cuius antea fuerit, in promptu est.

II. EDITIONES:

a) Ab arte typographica inventa usque ad annum MD sine loci aut anni aut typographi notatione typis confectae:

d. Hain * 10991 = Copinger Part. I p. 326 [2]: „MEDITATIONES de vita et beneficiis Iesu Christi. *F. Ia tit.:* De vita et beneficijs || saluatoris Ihesu cristi deuotissime || meditationes cum gratiarum actione. *Icon xyl.* [3] *F. 2a:* Prefatio || ( ) I desideras perfecte mundari a vitijs || *etc.*

[1] Descriptus est codex in libello: „Fürstlich Hohenzollern'sches Museum zu Sigmaringen. Verzeichniss der Handschriften. Von Hofrath Dr. F. A. Lehner . . . Sigmaringen . . Liehner, 1872." IIII et 119 paginae, forma octonaria, p. 29 nº 37. Ceterum Lehnerus plagulam alteram, qua capituli primi initium inde a verbis Domine Deus meus usque ad cum fletu et ge- || (huius editionis p. 4,6—5,8) continebatur, deesse aut non animadvertit aut omisit adnotare. Quae in codice Buxheimensi anni 1470 insunt Meditationes in vitam Christi, aliae sunt atque Thomae a Kempis (vide Zeitschrift für kathol. Theol. l. l. p. 171 et 554 sq.).

[2] Descriptiones Hainii nomine designatas paucissimis quibusdam tacite tum correctis tum adiectis ad verbum mutuatus sum ex opere, quod inscriptum est: „Repertorium bibliographicum . . . Opera Ludovici Hain . . . Stuttgartiae . . . MDCCCXXXI." Editiones, quarum numeris asteriscum non praeposuit, Hainius non vidit. W. A. Copinger edidit „Supplement to Hain's Repertorium Bibliographicum", London, Henry Sotheran and Co., 1895, Part. I, 1898, Part. II, Vol. I.

[3] In exemplaribus bibliothecarum Coloniensis B. II. 2. 313 et Monacensis regiae Asc. 3165 in usum meum conversis icon deerat.

Expl. f. 68 b l. 19: mationem Amen. *s. l. a. et typ. n. 8 min. gothicis characteribus c. s. 31 l. 68 ff.*"

e. Hain * 10992 = Copinger l. l.: „— — *F. 1 a tit.:* De vita et beneficijs sal || uatoris Iesu christi de- || uotissime meditationes || cum gratiarumactione. *F. 2 a (c. sign. a 2):* Prefatio. || (S)I desideras perfecte mundari a vitijs, si no || *etc. Expl. f. 72 a l. 28:* consummationem Amen. *s. l. a. et typ. n. 8. g. ch. c. s. 30 l. 72 ff.*"

f. Hain 10993 „— — De vita et beneficijs || saluatoris Ihesu cristi || deuotissime meditati- || ones cum gratiarum actione. *F. 2 a:* Prefatio. || ( )I desideras [sic] perfecte mundari a || *s. l. a. et typ. n. 12 g. ch. c. s. 22 l. 126 ff.* (Colon., Ulr. Zell.?" Ipse vidi. [1]

g. Hain * 10994 = Copinger l. l.: „— — *F. 1 a tit.:* De vita et beneficijs saluatoris Ie- || su christi deuotissimas meditationes || cum gratiarumactione. Et perlucidum || tractatum atque deuotum domini Gerar- || di Zutphanie de spiritualibus ascen- || sionibus totus libellus continet. || *F. 2 a (c. sign. a ij):* Prefatio ||

[1] Hain 10993 eandem editionem esse mihi persuasum est atque Hain 10995 = Copinger l. l. Utriusque enim titulus habet, id quod Hainium fallebat, „Ihesu cristi". Quod autem idem editionem 10995 opinatur his verbis terminari: „Coloniae apud Lyskirchen", tractatus quidam perbrevis „de quatuor in quibus incipientes deo seruire debent esse cauti si proficere volunt", Hainio 10993 adglutinatus atque iisdem typis versuumque continuisque (116a—119a) plagularum numeris, quibus antecedentia, confectus hanc ipsam clausulam habet: „Impressum Colonie apud Lyskyrchen", qua re Hainium, qui editionem suis oculis non collustraverat, in errorem inductum esse patet.

( )I desideras perfecte mundari a || *etc. F. 208a l. 22:* ℂ Laus deo. *F. 209a* (c. sign. *j*): Incipit tabula presentis libelli. *Expl. f. 215a l. 7 s. l. a. et typ. n. 8 min. g. ch. c. s. 25 l. 215 ff.*"

h. Copinger l. l. nº 3954:

F. 1a tit.: „De vita et beneficijs || saluatoris Iesu chri || sti deuotissime medi || tationes cum gratia || rumactione. *F. 2a (c. sign. O_2):* Prefatio. || ( )I desideras ferfecte munda || *etc. Expl. f. 112a l. 15:* cum ipso resurgas in gloria. Amen || *l. 16:* Laus deo. s. l. a. et typ. n. 8 g. ch. c. s. 24 (interdum 23 vel 22) l. 112 ff."[1]

i. Copinger part. II. Vol. I p. 397 nº 3955:

F. 1a: „De vita et beneficijs || saluatoris Ihesu christi deuotissime meditati || ones cum gratiarumactione." || *F. 2a:* „Prefatio in librum || ( )I desideras perfecte mundari a vitijs." || *Expl. f. 64a l. 19:* „summationem. AMEN." s. l. a. et typ. n. 8 g. ch. c. s. 32 l. 64 ff.[2]

b) Post annum MD certis annis emissae:

k. F. 1a: „De vita et beneficiis salua || toris Iesu Christi" || Sub quibus

[1] Bibliotheca regia Monacensis tria possidet exemplaria (P. Lat. 1849e, Inc. s. a. 236, Inc. s. a. 239d) huius editionis, quam neque Hainius neque G. W. Panzeri Annales typographici, XI voll., Nürnberg, 1793—1803, norunt; quorum id, quod postremo loco posui, in interiore parte antici tegminis haec verba manu scripta exhibet: „Anno domini. 1. 4. 98. hot der || Erwer Jung wolfgangus || Peham seiner Swester || Elizabet pehamyn zu || Sanct Clare geschenckt ditz puchlein der allmech || tig got mach sie tail haft || ig was gutz do von gescht || cht (sic) vn pit got fur vns || armen"

[2] Huius editionis exemplari usus sum bibliothecae universitatis Lipsiensis sic signato: „Script. eccles. 2017."

verbis figura cernitur arboris foliatae scutoque suspenso ac duobus cervis alatis in pedibus posterioribus stantibus ornatae, sub qua nomen ROBERT GOVRMONT legitur. *F. 2a:* Prefatio | ( )I desideras perfecte mundari a viciis si || *F. 66a l. 21:* resurgas in gloria. Amen. *F. 66b l. 7:* consummationem. Amen. *F. 68a:* Finit liber de vita et beneficiis saluatoris domi || ni nostri Iesu christi. Impressum parisius per Egidium || gourmont in collegio trigueti prope sanctum Iohannem | lateranensem. Anno domini M.CCCCC·ii· sexta mensis fe- | bruarii. | *8. min. g. ch. c. s. 32* (semel numeravi 31) *l. 68 ff.* Vsus sum exemplari bibliothecae monachorum Monstroliensium sacri ordinis Cartusiensis.

l. F. 1a tit.: Deuotissime Meditati | ones de vita: benefici | is: et passione salua- toris Iesu christi cum gratiarum | actione. || *F. 1b:* Prefatio. || SI desideras perfecte mundari a vicijs: si no- || *etc. Expl. f. 84a l. 10:* consummationem. AMEN. || In officina excusoria Sigismundi Grimm: Medicine | Doctoris: ac Marci wyrsung: Auguste Vindelicorum. Quinta die Aprilis || Anno. etc. DDD.XX. || *8. g. ch. c. s. 31 vel 32 l. 84 ff.* Cum imaginibus XXXVIII, quas Schaeuffelini, scalptoris lignarii praestantissimi, arte factas esse verisimile est. (Cfr. Panzer VI, 158 № 181.)

m. Thesaurus || verae pietatis || siue || meditationes || *de vita et beneficijs Saluatoris Iesu Christi:* || Item, || Horologium Deuotionis, | auctore F. Bertholdo | Domi-

nicano. || Coloniae, Apud Ludouicum Alectorium || et haeredes Iacobi Soteris, Anno 1577. || Pag. 3: Praefatio. || SI desideras perfecte mundari a || Expl. pag. 204 l. 15—17: futuris largire custodiam, et foeli || cem consummationem, || Amen. || *204 pagg. forma duodenaria.* Cum figuris XXI in lignum incisis.

**n.* Thomae Malleoli a Kempis.... Opera omnia. Ad autographa eiusdem denuo emendata, atque etiam in editione tum prima tum secunda aucta plurimum: Omnia vero in tres Tomos distributa: Opera ac studio R. P. Henrici Sommalii e Societate Iesu.... Editio secunda. Antverpiae, Ex Officina Typographica Martini Nutii.... M.DC.VII. 8°. 879 pp. Cum effigie Thomae. Pag. 617—720 continentur: p. 617: De vita || et beneficiis || Iesu Christi salvatoris || nostri meditationes || et orationes. || ... Pars prima. || Ab Incarnatione Christi, vsque ad Passio- || nem eiusdem. || Praefatio. || *De vtilitate vitae Iesu, et passione* || *eiusdem.* || SI desideras perfecte || *Expl.* p. 720 col. 2. l. 27, 28: seculorum. Amen. || Finis. ||

**o.* Orationes || in totam vitam || Christi || auctore Thoma || a Kempis. || Ex antiquis manu scriptis, || Thomas Gratianus || Prouinciae Col. Ord. FF Ere || mit. S. Aug. Diffinitor || eruebat. || Coloniae Agrippinae, || Apud Antonij Boëtzeri || Haeredes. M.DC.XXVI. || 8°. [pp. XVI et 520] || *p. 1:* Recommenda- || tio sanctissimae || vitae Iesu Christi, || et benedictae Passio- || nis eius. || SI desideras perfecte

munda — *Expl. p. 516 ll. 18. 19:* saeculorum. || AMEN || [1].

**p.* Meditationes piissimae || Fr. Thomae a Kempis || Ord. Canonic. Regul. || de || vita et passione || Domini nostri Iesu Christi. || Opusculum luce nondum hucusque || donatum ex Manuscripto Bibliothecae Societatis Iesu || Paderbornensis. || Coloniae Agrippinae, || Sumptibus Wilhelmi Metternich bibliopolae, || Sub Signo Gryphi. Anno M.DCCXVII. || Cum Permissu Superiorum, et Privilegio. || 8° [pp. X] pp. 236. *P. 1:* Meditationes || Devotissimae Fratris Thomae de Kempis || de Vita et Passione Domini nostri || Iesu Christi. || Recommendatio Sanctissimae vitae ac Pas- || sionis Domini nostri Iesu Christi. || Prologus. || SI desideras perfecte mundari a vi || *Expl. p. 236 l. 18—22:* in gloria, per infinita saecula saeculorum. Amen. || Deo semper gratias, Deo laus, Deo honor, vir || tus, et potestas in perenni saeculorum tem || pore. Amen. || Finis || [2].

---

[1] Librum ab Augustino de Backer in „Essai bibliographique sur le livre de Imitatione Christi, Liége 1864" nº 2959 sic descriptum: „A Kempis. Les oraisons sur la passion du Christ. Cologne, 1636, in - 64." diu multumque a me quaesitum Iosephus Brucker S. I. roganti mihi, num in aliqua bibliothecarum Parisiensium adservaretur, se diffidere omnino extare scripsit. Cui mihi iam idem videri rescripsi, cum editionem Coloniensem anni 1626 verisimile sit cum Backeriana illa nescio quo pacto confusam esse.

[2] Descripsit hanc editionem de Backer l. l. p. 210 nº 2925.

III. ORATIONVM ET MEDITATIONVM IN COMPLVRES LINGVAS CONVERSARVM

a) in Theotiscam

α) Germaniae inferioris codices manu scripti:

**q.* Liber bibliothecae Athenaei Daventriensis exceptis quatuor plagulis membranaceis chartaceus, saeculi XV exeuntis, plagularum 336, longarum 0,145 m, latarum 0,102 m, quas voluminis tegendi causa antecedunt plagulae duae membranaceae, subsequuntur totidem chartaceae, ll. 21—25. *F. 1 a:* Een peinsinge des alren hilicsten || leuens ons heren iesu christe (sic) Ende sijnre || hilliger passien || (I)set dattu || begeerste volcomenlic ge || reynicht te werden van dij || *Expl. f. 336 b:* gelijc in der glorien tot ewigen tyden der tyden God sy altoes gedanct ende geloeft ende gebenedijt in ewicheit der ewicheit. Amen. Biddet voer die || gene die dit gescreuen heeft want sie in || voelen gebreken gebleuen is Een Aue || maria. || Cfr. Catalogus der Handschriften berustende op de Athenaeum-Bibliotheek te Deventer. Deventer. Deventer boek-en steendrukkerij. 1892, p. 12 N° 26, cuius praefationi nomen subscripsit I. C. v.[an] S[lee, parochus].

**r.* Liber chartaceus bibliothecae orphanotrophei Halensis Saxonum, plagularum 316, longarum 0,143 m, latarum 0,092 m, quarum tamen duas anticas, sex posticas vel vacuas vel alius argumenti

non numero, 22 l., *F. 1 a:* Een lauinge des alren hillichsten le- || uens iesu christe ende synre passien || Ist dattu begeerste || vullencomeliken || *F. 1 b post praefationem l. 12:* Hyr be- || gynt een suuerlick boeck vander ge- || buerten leuene passie vns leuen || heren iesu christe ende is van werdicheit || gheheyten dat merren boeck Ende || heeft ghemaket een deuoet man || gheheyten broder thomas vander ka- || thuser (sic) orden dat allen deuoten herten || zeer orberlick is ghelesen ende sick || daer in to oeffenen || *Expl. f. 308 a:* De leuet || ende regnyert mytten vader ende mytten || hilligen geeste een god in ewicheit Amen || God sy gelauet in ewicheit der ewicheit || Ghescreuen int iaer vns heren. XV. hondert || ende ·II· geendet vp des hilligen apostels || sunte thomas dach || Bidt vorden armen scryuer | (Confer codicis descriptionem, cuius errores tacite correxi, in programmate scholae celeberrimae Latinae Halensis anni 1876. Progr. Nº 185 p. 19 nr. 6.)

β) Germaniae superioris libri literarum formis descripti:

s. Hain * 8534 = Panzer I p. 25 nº 25 = Holtrop, Catalogus librorum saeculo XVº impressorum, quotquot in bibliotheca regia Hagana asservantur. II partes. 1856 nº 594: In prima pagina plagularum sex primarum numeris destitutarum haec leguntur: „Difs Buechleyn ist zu Erst | durch eynen andechtigen hohge || lerten vatter Cartewser ordens jn || latein ge-

macht. Darnach durch || eynen andern vertewscht. Und || durch Caspar hochfeder zu nur || emberg zu drucken verfugt / vnd || sagt von dem leyden vnnsers herr || en jhesu christi / allweg bey jedem || stuck / mit jnniger hertzlicher an- || dacht / vnd danncksagung / vol || verdiensts / on zweifel gotlicher || gnaden. vnn ist genant der Hertz- || maner / von jnnprunstiger hertz- || licher vermanung wegen / dar- || jnn begriffen." || Paginae decem sequentes continent tabulam precationum, quae excipiuntur tribus pagellis vacuis, quibus continuantur plagulae CCXI l. 21 numeris distinctae. *F. Ia* (c. sign. a ij): Wen du begerst || *F. CCIIII b l. 9:* meins lebens. Amen. F. CCV ad. CCXI sequuntur aliquot precationes, quarum postremae f. CCXIa nomen primae, suspicor, possestricis sic manu subscriptum est: „Anastasia loewin. 1.5.0.2 jar"

t. GEbet vnd Betrachtungen des Lebens || des mitlers gottes / vnd des mentschen vn || sers herrens Iesu christi / von anfang || seiner hailgen mentschwerdung / von || allem seinem leyden / biss in das end || seines aller bittersten sterbens / || ann dem holtz des hailigen || creutzes / mentschlichs || gemůet bewegend / || vnnd raytzend || zů andacht. || F 2a (c. sign. A ij): Von dem gantzen Leben des Mitlers || F. 120a l. 10 et 11: kercker meins leybs / gib meiner seel ain såligen auss- || gangk. AMEN. || Getruckt inn der Kayserlichen Statt Augspurg / || durch Sigismundum Grimm Doctor / vnnd Marx.

Wyrsung / jm jar / Tausent | Fünffhundert / vnn ·xxj· am ·xv. Ianuarij. || 8. g. ch. c. s. 28 l. 120 ff. Cum imaginibus XXXXII eadem, quae supra sub *l* commemoravi / plerumque repraesentantibus.

u. F. 1a: Gebett vnd || Betrachtungen dess | Lebens / des mitlers Got- || tes / vnd des menschen vnsers || herren Iesu Christi / Von an- | fang seiner hailigen mensch- || werdung / von allem seinem || leiden / biss in das end seines al- || ler bittersten sterbens / an dem holtz des hailigen Creützes / || Menschlichs gemůt bewe- | gendt / vnd raitzendt | zů andacht. | *F. 2a* (c. sign. A ij): Von dem gantzen Leben dess || Expl. f. 131b: mir meiner seel ain seligen aussgang Amen. || Getruckt zů Augspurg durch || Valentin Otthmar. Cum XXXVI imaginibus. s. a. n. 8. g. ch. c. s. A ij—R iii. 28 l. 131 ff. (Bibl. reg. Monac. „Polem. 763“).

v. Gebet vnn Betrachtungen des | Lebens des mitlers Gottes / || vnd des menschen vnsers Her- | rens Iesu Christj / von anfang || seiner heyligen Mensch- | wer- | dung / auch von allem seinen | leyden / biss in das End seines | aller bittersten Sterbens / ann || dem holtz des heyligen Creü- || tzes / Menschlichs gemůt | bewegendt / vnd ray- || tzend zů andacht. || 1.5.57. || Iar. || Gedruckt zů Ynfsprugg durch | Ruprecht Höller. || F. 2a: Von dem gantzen Leben des mitlers Got || F. 174b: sel ain sâligen aufsgangk. || 8. g. ch. c. s. A ij—Y v. 20 l. *174 ff.* (Bibl. reg. Monac. „Asc. 2018d“).

x. Tit.: Schöpffbrun- || nen / Geistlicher andacht / || aus' welches lebendige quel- || len zuschöpffen. || Andächtige Betrachtun- || gen vnd jnbrünstige Gebet / von || dem heyligen Leben / vnaufssprechli || chen Wolthaten vnd bitterem || Leiden / vnsers Heylandts || Iesu Christi: || Darinnen ein frommer Christ / || den da dürstet nach der Gerechtigkeit / || in allem seinem Anligen / in anfechtungen / || Trůbsalen / verfolgungen / Armůt / Kranck- | heyten / fleischlichen Begirden / vnd welt- || lichen anreitzungen, etc. Erquickung vnd Labung || findet. || Es hat auch ein Christ daraus' || zuschöpffen / vil hertzlicher Dancksagungen || vnd lobs / für solche hohe vnd vber- || schwengkliche wolthaten || Iesu Christi. || [pag. 2] Aufs verlag des Ehrwür- || digen in Gott Geystlichen Herrn || Georgen, Abbte defs würdigen || Gottshaufs Vrsperg. || Allen Catholischen / Eyfehrigen vnd gůthertzigen Christen / zu sonderm || Trost / vnd erweckung der Andacht / aufs || dem Latein / in vnsere hochteůt- || sche Sprach versetzet / || durch Samuel Dil- || baum. || Anno || M.D.LXXXIIII. || *Expl. p. 534:* vnd allhie in diesem leben || Seliglich ende: || Amen. || Gedruckt zů Augspurg / || durch Iosiam Werly / bey dem || Heilygen Creutz / im Jar 1585. || den 4. Tag December. 8. g. ch. c. s. A ij — Ll v. 20 l. [6] 534 ff. (Bibl. reg. Monac. „Asc. 4347“) [1].

[1] In Draudii Bibliotheca librorum german. class. Francofurti 1611 p. 274 per errorem, opinor, annus 1586 editus est.

y. Hertzenmahner: || Das ist / || Innbrünstige / hertzliche || Vermahnung / zu vielen Wunn | vnnd heylsamen Betrachtungen defs al- | lerheiligisten Lebens/ Leydens vnd Ster- | bens / vnsers lieben Herren vnd Se- ligmachers Christi | Iesu: In schöne Lobsprüch / schuldige | Danck-sagung vnd andächtige Gebett / || mehr als vor hundert Jarn verfaßt: | Durch | Einen frommen / geistlichen vnd hoch- | gelehrten Vatter / Carthäuser | Ordens: An jetzo aber mit sonderm Fleyfs vber- | sehen/vnnd im Teutschen ver- || bessert. | Mit Röm. Kay. Mayest. Freyheit. || Getruckt zu Ingolstatt / durch || Wolffgang Eder. || Anno M.D.LXXXVI. | Paginis constat 426, quas antecedunt 14 numeris non notatae, subsequuntur item 5. Insunt 44 tabellae in lignum incisae.

* *z.* Gebethe und Betrachtungen | von dem | Leben und den Wohlthaten unsers Heilandes Jesu Christi, | vom ehrwürdigen Thomas von Kempis, || aus der zweiten Ausgabe seiner sämmtlichen Werke || übersetzt || von || Jodoc Egli, | Kuratkaplan B. M. V. in Ruswyl. || Mit Genehmigung des Hochw. Ordinariats. | Luzern, bey Xaver Meyer, 1828." XVI et 344 pp. 12°.[1]

---

[1] Eiusdem editionis nomen secundae ementita exemplaria extant solo indice libri sic immutato: Thomas von Kempis || Gebete und Betrachtungen || von dem | Leben und den Wohlthaten || unseres Heilandes Jesu Christi, || übersetzt || und mit einem Anhange . . . von || Jodoc Egli, Pfarrer. || Zweite Ausgabe. || . . . || Luzern, || Verlag von Xaver Meyer. || 1836. || Sed horum exemplarium nisi quod initio adprobatio ecclesiastica et dedicatio omissa sunt, et index erratorum additus est, verba, paginarum numerus, ipsi typothetae errores cum reliquis prorsus consentiunt.

**a*[1]. Betrachtungen, Reden und Gebete über das Leben und die Wohlthaten unseres Erlösers Jesu Christi," in voluminis tertii p. IIII—XII et 1—294 operis: „Auserlesene Schriften | des ehrwürdigen || Thomas von Kempis. | Deutsch bearbeitet || von || Johann Andreas Herderer[1]. || Münster, 1839. || Katholischer Bücher Verlag. || (J. H. Deiters.) || Quatuor volumina in 12°. Cum effigie Thomae a Kempis delineata ab Jos. Keller.

b) in Hispanicam:

**b*[1]. Oraciones | y || meditaciones || de la vida || de || Iesu Christo || nuestro salvador, || y de los beneficios que nos hizo. || Compuesto por el Venerable Thomas de Kempis, || Canonigo Regular de la Orden de San Augustin. || Con dos Tratados del mismo Author, el uno de los tres Taber- || naculos, y el otro del Soliloquio del Alma. | A la Reyna nuestra Señora. || Traducidos por Don Francisco de Borja, Principe de Esquilache, || Gentilhombre de la Camara del Rey Nuestro Señor. || IHS || en Brusselas, || En Casa de Francisco Foppens, Impressor de Libros, || al señal del Espiritu Santo || M.DC.LXI. | XVI et 536 pp. [4 p.] Cum effigie. Orationes et Meditationes complent p. 1—320.

c) in Francogallicam:

**c*[1]. Élévations || à || Iesus-Christ, || sur || sa vie et ses mysteres. | Par Tho-

[1] Natus die duodecimo mensis Novembris anni 1781, mortuus die vicesimo quarto Ianuarii anni 1836, patruus magnus fuit redemptoris huius editionis.

mas a Kempis. || Traduction françoise. | Avec une poësie chrétienne, sur quelques idées du même auteur. || Dédiées a la reine. A Paris, | chez Pierre Prault, ... || M.DCC.XXVIII. | ... pp. [18] 479. 8°.[1]

d) in Batavam:

**d*[1]. Godvruchtige overwegingen over het leven en lijden van onzen Heer Iesus Christus door Thomas à Kempis. In het Nederlandsch overgebracht door en R. K. Pr.[2] naar de eerste Latijnsche uitgaaf (te Keulen in 1717 gedruckt volgens het Manuscript in de Bibliotheek der ZZ. EE. Paters van de Sociëteit van Iesus te Paderborn.) Kerkelijk goedgekeurd. 's-Hertogenbosch, G. Mosmans senior 1892. 8°. pp. 336.

e) in Britannicam:

**e*[1]. Meditations on the life of Christ, by Thomas a Kempis. Third edition, with the original preface by the late Rev. S. Kettlewell, D.D., sometime vicar of St. Marks Woodhouse, Leeds ... Oxford and London, Parker and Co. MDCCCXCIV ... 8°. pp. LIII et 354[3].

---

[1] De hac editione, cuius in bibliothecis Germaniae mihi non contigit ut ullum exemplar indagarem, in Parisiensi publica D. 5743 contigit, vide I. A. Fabricii Bibl. Lat. med. et infimae aetatis ... Vol. IIII. Hamburg 1735 p. 634 (Patavii ... 1754 p. 215, Florentiae 1858 p. 493), praeterea Journal des sçavans Mai 1729 tom. 88 p. 142 ed. Amstelodamensis.

[2] Interpretem se mihi professus est Iosephus Bemelmans, capellanus Susterensis.

[3] Aliquot sive locos sive integra capita a doctrina ecclesiae Anglicae abhorrentia interpres consulto omisit (vide Kettlewell p. LII). Quas praeterea duas translationes Britannicas Kettlewell p. XLV sqq. his verbis commemorat: „‚De vitâ' was made and printed in Paris, A. D. 1664,

IIII. ALII EIVSDEM EX PARTE GENERIS LIBELLI:

f[1]. Hain *14156. In prima pagella numero destituta legitur: „Liber meditationum ac || orationum deuotarum qui an | thidotarius anime dicitur“ || in altera literis rubricatis: „Nicholai Saliceti artium || et medicine doctoris: abba || tis monasterij beate marie de | pomerio alias bongart. ordinis || cisterciensium argentine diocesis. | in anthidotarium anime pre- || fatiuncula.“ F. 120a literis rubris: „Animarum christifidelium anthidotarium salutiferum. quo et egrotantes ad optatam sanitatem restitui. et sane in ipsa sanitate conseruari valeant. hic finem sumpsisse cernens o lector. deuotissime deo cunctipotenti cum suis conregnantibus gratias age diligentiamque lauda. collectoris fratris nicolai Abbatis pomerij Cisterciensium ordinis. qui ex varijs sanctorum opusculis excerpens in hunc fasciculum illum congessit atque ad imprimendum tradidit. Industrioso viro magistro Iohanni Reynardi (alias grunynger) in insigni Ciuitate Argentina. vbi completus extitit Anno nostre salutis. M CCCCL XXXIX. ydus vero Julij septimas.“ Huius libelli pagellas centum

---

by Thomas Carre, Confessor to the Canonesses Regular of the Augustinian Order, who attributes the work to Thomas a Kempis.“ et „‚De vitâ‘ was made into English by Henry Lee, LL. B., in 1760.“, eas non vidi, atque Lecianam quidem haud ita magno dolore, quippe quae tot additamenta translatoris habeat, ut, quae ipsius, quae Thomae sint, dicere saepe difficile sit. Ceterum Lee quoque nomini Thomae a Kempis librum addicit.

viginti numeratas et praecedunt et subsequuntur senae denae pagellae non numeratae, de quarum addendarum consilio p. 30 prioris appendicis haec leguntur: „Postquam libellus iste finem suum est sortitus in orationibus de omnibus sanctis. qui et initium primo sumpsit a confessione generali vt tabula prior et numerus foliorum per totum eius processum declarant. placuit compilatori eiusdem libelli nonnulla superaddere. que postmodum manus eius inciderunt", quibus ibidem p. 31 summarium argumenti posterioris appendicis subicit. Hoc autem p. 1 ita incipit: „Sequuntur oraciones seu con | templationes multum deuote || cum graciarum actionibus. de omni | bus beneficijs a deo huma- || no generi impensis et specialiter | in opere nostre redemptionis in | carnationis et passionis christi. || Et primo ponitur oratio excitati- | ua humane mentis ad laudandum deum. || Domine deus meus lauda || re te desidero. quia ad lau | dandum te creatum me agnosco" et p. 28 his verbis finitur: „Explicit totus processus de | vita passione resurrectione et || ascensione domini nostri Iesu christi || necnon spiritus sancti missio | ne. omnibusque alijs benefi | cijs homini a deo collatis. || Recommendatio iam dicti pro | cessus in quo ponuntur vtilitates | quas quilibet consequitur ex || deuota meditatione vite et pas | sionis domini nostri iesu christi. || SI desideras perfecte mun- | dari a vicijs."

*g*¹. Hain 8533. *F. 1a:* Exercitium dominice pas | sionis secundum articulos

distinctum. et expo || sitiones varie dominice orationis nec || non salutationis angelice breues et vti- || les valde. cum quibusdam orationibus || deuotis et pulcherrimis. || *F. 1b:* ℂ Incipiunt quedam deuota et | motiua atque multum vtilia exercitia pas | sionis dominice secundum articulos di | stincta per venerabilem patrem dominum the | odoricum de herxen composita || AD dominice passionis memoriam . . . Hinc itaque Albertus magnus | „Si igitur desideras perfecte mundari" et sic reliqua cum mea editione [p. 3, 4—23] usque ad finem praefationis, nisi quod pro p. 3, 16. 17 „si perenniter regnare in caelis" haec longiora leguntur: „Ceterum si eternam salutem et premiorum | magnitudinem desideras habere. artem [1] quoque cunctarum || virtutum optas conscendere. scientiam etiam et sapientiam obti || nere. inter prospera et aduersa equanimiter stare et || securam viam ambulare. nec non amaritudinem passionis | dominice. eiusdem consolationis potum suauissimum deside || ras pregustare." paucis quibusdam exceptis concordantia. F. 99b: ℂ Finit collectum venerabilis et deuo || ti patris domini Theoderici (sic) de herxen.[2] || Anno ab incarnatione do-

[1] Fortasse legendum „arcem".

[2] Theodoricus de Herxen, alter rector domus fratrum Zwollensis, natus c. 1381, mortuus 1457. Plura de eo reperies in libris hisce: Acquoy, Het klooster te Windesheim en zijn invloed, I 88 sq.; K. Hirsche in Real-Encyklopaedie für protest. Theol., II² p. 752; Joh. Busch, Chronicon Windeshem. et Liber de reformat. monaster. (ed. C. Grube, p. 395 et 805); van Slee in Allg. Deutsche Biographie XII p. 257, ubi citantur Delprat, Broedersch. van G. Groote, p. 85 sqq., et Moll, Kerkgesch. van Nederl. II 2 St. p. 369, 412, 419; Chronic. montis s. Agnetis cap. 26 p. 116.

mini M. | CCCC.XCIJ. secunda Maij. | Explicit f. 100a.

h[1]. Een belangrijk werk van Thomas a Kempis door V. Becker. Utrecht, P. W. van de Weijer, 1893. 8°. pp. 8. (Typis expressa ex: De studien op godsdienstig, wetenschappelijk en letterkundig gebied. XXVe Jaarg. Deel XL.)

B. DE IPSIVS OPERIS TITVLO, PARTIBVS, AVCTORE.

His adiumentis, quae modo enumeravi, quomodo usus sim, antequam exponam, de titulo, partibus auctoreque ipsius operis mihi videtur paucis dicendum esse.

I. DE OPERIS TITVLO.

Atque titulus quidem, quem huic libro scripsi, ingenue me dubitare fateor, num ab ipso auctore profectus sit. Quod quale sit, ex iis, quae in huius capitis paragraphis altera et tertia disputaturus sum, mox intelleges. Equidem Mauburnum, a quo *c *n t f*[1] non multum discrepant, summatim sequi commodissimum esse statui, praesertim cum auctor scribens haec verba, quae p. 282, 30 sq. editionis meae leguntur: „per devotas orationes et sanctas meditationes de vita et passione Christi recolendo omni die unum saltem articulum de tam

multis vulneribus et doloribus Domini mei Iesu Christi pro me crucifixi" sui libri argumentum in animo habuisse videatur.

II. DE OPERIS PARTIBVS.

Quas uno hoc volumine comprehensas habes Orationes et Meditationes de vita Christi, duos primitus fuisse tractatus cum codicibus *a b c* antiquissimisque editionibus *d–m* priorem tantum tractatum continentibus confirmatur, tum indicis, cuius verba infra ponam, testimonio constat; sed eosdem iam exeunte saeculo XV in unum coniunctos fuisse non solum editionibus **n* **o* **p* ex manu scriptis erutis verisimile est, sed etiam translationibus **q* et **r* et „Antidotario animae" (*f*[1]), in quo totum Orationum et Meditationum opus excerptum legitur, certum est. Vt breviter dicam, quid sentiam, horum duorum tractatuum eadem ratio est, quae quatuor De imitatione Christi librorum; qui cum primo singuli suum per se quasi orbem conficerent, paulatim in unum corpus coalescere coeperunt, cuius rei codex olim Indersdorfensis, nunc Monacensis Clm 7842, anno 1437 e paulo antiquiore eiusdem bibliothecae Clm 7830 descriptus antiquissimum adhuc testimonium mihi innotuit.

III. DE OPERIS AVCTORE.

Orationes et Meditationes de vita Christi a Thoma Kempensi conscriptas esse haec argvmenta demonstrant:

a) Capitalia peremptoriaque:

„Tituli librorum et tractatuum fratris thome kempis," incerti auctoris, sed intra septendecim post mortem Thomae annos confecti, primum ab Hesero [1] e tribus codicibus Rebdorffensibus [2], deinde a Carolo Grube [3] e duobus codicibus Monacensibus [4] editi loco tricesimo quarto haec habent: „Liber orationum de vita Domini. Domine Deus meus laudare te desidero" et tricesimo quinto:

---

[1] Vita et syllabus Operum omnium Thomae a Kempis . . . Ingolstadii . . 1650 . . ., Parisiis 1651 (de Backer l. l. nº 3091). Inde repetiverunt Eusebius Amort, Moralis Certitudo . . . Augustae Vindelicorum . . . 1764 p. 146 sq. et De imitatione Christi libri quatuor . . . Augustae Vindel. 1798 (de Backer nº 198 et 3093).

[2] Horum unus (nunc bibliothecae regiae Haganae O. 99) has subscriptiones habet f. 203b: „Explicit soliloquium anime. Scriptum anno domini 1488." In die sancte dorothee || virginis. Ex libro qui scriptus est per manus fratris thome Kempis". || et fol. 234a: „Explicit totus liber iste. Scriptus per fra || trem Nicolaum numan de franckfordia. pro || fessum in maiori franckentael: Anno domini || millesimo quadringentesimo octuagesimo octauo. | Ipso die sancte gertrudis virginis.", reliqui duo sine temporis nota adhuc supersunt in bibliotheca Parisiensi publica nº 10608 et 10625, id quod coniectaveram in Progr. gymn. Kemp. 1895 p. XII. (Vide Jos. Brucker in Études publiées par les pères de la comp. de Jésus, Paris 1899, tom. 81 p. 364 sq.)

[3] Historisch-politische Blätter für das katholische Deutschland. 92. Band (München 1883) p. 900 sqq.

[4] Nº 18526_2 scripto c. annum 1492 et nº 23871 ex 18526_2 descripto.

„De resurrectione orationes in duas partes secte.“ Hoc testimonium fide dignum esse patet. Nam cum in illis, quae „titulos librorum et tractatuum“ praecedunt „Aliqua notabilia de conversatione fratris thome kempis“, multo plura se audivisse adfirmet a fratribus illius conventus, qui etiamtunc viverent, quae vix millesimam partem enarravisset scribendo, Thomas autem in monte s. Agnetis mortuus sit a. d. VIII. Kal. Aug. anni 1471, quin auctor cum monachis, qui cum ipso Thoma vixerant, ibidem collocutus sit, dubitari non potest. Idque illum recte adfirmare probatur ordine, quo Thomae opuscula ab eo ponuntur; idem enim est, quem Thomas in autographo illo Bruxellensi (nº 5855—5861) secutus est. Qua in re imprimis memoratu dignum est, quod in utroque documento quartus De imitatione liber ante eum, qui vulgo tertius est, enumeratur. Quae cum ita sint, de huius testimonii neque integritate neque fide ullo modo dubitare licet.

Alterum supparis auctoritatis testimonium Ioannis Mauburni mortui 1502 vel 1503 est, qui in codice Bruxellensi 11816 inter alia Thomae scripta loco vicesimo hoc proponit: „Orationes et meditationes super vita, passione et resurrectione Domini“ [1]. Quod quanti sit faciendum, ut intellegatur, Mauburnum moneo socium fuisse congregationis Win-

[1] Vide Carolum Ruelens, Les derniers travaux sur Thomas-a-Kempis (Extrait de la Revue La Belgique), Bruxelles, 1859 p. 9 note 1.

desemensis, alumnum monasterii s. Agnetis, hominem pium, doctum, scriptorem magnae apud Gallos auctoritatis [1], summis illius aetatis viris, in his Erasmo, probatum.

Nec minus valere arbitror trium editionum *n *o *p in nomine Thomae consensum. Quae cum inter se adeo non pendeant, ut posterior uterque editor superiorem editionem ne cognoverit quidem, in suo quemque codice nomen Thomae invenisse manifestum est.

b) Secundaria confirmativaque:

Haec testimonia ex historiae fide petita aliis ex ipsius libri argumento et sermone sumptis corroborantur. Ac primum quidem monachum se esse auctor multis locis vel significat vel prodit; cfr. 67, 16. 25. 28; 78, 16; 81, 11; 83, 17; 84, 8; 93, 1. 16; 99, 25. 29; 102, 8; 104, 31; 105, 14; 109, 8–110, 20; 111, 17. 25; 139, 7. 11; 174, 4; 179, 13; 272, 30; 278, 14; 281, 27; 288, 10; 327, 4. 28; 352, 15; 353, 15; 354, 9. 20. In pagina vero 267, 3 se ordinis canonicorum regularium s. Augustini esse tam plane dicit, ut non recte intellegere non possis scribentem: „Flevit etiam sanctus pater noster Augustinus acerbissime". Qua eadem designatione „patris nostri Augustini" Thomas utitur novem locis

[1] Recherches historiques et critiques sur le véritable auteur du livre de l'Imitation de Jésus-Christ . . . par Mr. J.-B. Malou . . . Troisième édition . . . Paris . . 1858 p. 94.

his *n: Hortul. rosar. p. 396, 2. 24; Cont. et medit. p. 236, 24; Sermon. ad novic. cap. 28, p. 120, 2. 20; Chronic. mont. s. Agnet. pp. 39, 50, 64, 114, 117, 153; contra omisso [1] „noster" Cont. et medit. *n p. 236, 32 scribit: „sanctus pater Benedictus".

Praeterea inter horum tractatuum atque librorum De imitatione Christi verba atque sententias quanta saepe similitudo intercedat, ut cognoscatur, hi loci conferantur: 12, 7–14 = De imit. ed. C. Hirsche IIII 17, 18–19: cum tali fide ... verbum tuum; 40, 20–24 = De imit. III 1, 12: ad capienda arcana caelestia, III 23, 12: Domine sermo tuus iste brevis: | multum in se continet perfectionis. | Parvus est dictu: || sed plenus sensu et uber in fructu. IIII 1, 14: ad capienda tanta mysteria. IIII 4, 14; Non enim ad haec capienda et intelligenda aliquis idoneus per se reperitur: || quae angelicam etiam subtilitatem transcendunt. || 89, 8. 9 = De imitat. I 2, 3: Melior est profecto humilis rusticus, qui Deo servit: || quam superbus philosophus, qui se neglecto cursum caeli considerat. 104, 18–27 et 305, 27–306, 12 = De imit. I 24, 51–65: Esto modo sollicitus et dolens ... omnis irreligiosus; 117, 12–17 = De imit. III 54, 32 et 33: Natura confusionem ... contumeliam, I 24, 19: qui pro contrariantibus sibi libenter orat; 118, 2–4 = De imit. III 22, 46: ut etiam pati contumelias gauderent pro nomine

[1] Aeque simpliciter legitur in autographo Bruxellensi De discipl. claustrali cap. VI § 4: „a sancto augustino".

tuo, III 31, 29 sqq.: quidquid Deus non est, nihil est et pro nihilo computari debet, III 47, 38: pro nihilo inter homines computari; 126, 12–14 = De imit. I 24, 16: patiens homo . . . suscipiens iniurias plus dolet de alterius malitia, quam de sua iniuria; 177, 6 et 7 = De imit. III 4, 9: Domine, verum est. Sicut dicis . . ., III 17, 6: Domine, verum est, quod dicis; 293, 18 = De imit. III 50, 99: ait humilis sanctus Franciscus.

Eadem sermonis Thomaei in iisdem libris similitudo saepissime obvia est in versuum clausulis inter se consonantibus, qua orationis eius proprietate accuratius investigata Carolus Hirsche [1] optime meruit. En nonnulla exempla: 109, 10–13, 20–30, 110, 11–15, 190, 19–28, 198, 3–12, 14–17. Atque illud versus in fine consonantes faciendi studium tam evidens est, ut *x* p. 262 et p. 264 id imitatus sit.

Denique notabilis mihi videtur esse mirus quidam aliquot huius libelli, quo de agitur, locorum atque testimoniorum ex aliis fontibus derivatorum quasi concentus atque consensus: 71, 9–11: „amorosam mihi infunde tuae amarissimae passionis recordationem.“ Quibuscum conferas, quae is, qui Thomae Chronicon montis s. Agnetis continuavit, p. 137 hisce narrat: „Fuit etiam multum amorosus in passione Domini.“ 34, 29–35, 7: „Adiuua... claudere librum.“ Hic locus quasi explanatur iis, quae Franciscus Tolensis,

[1] Prolegomena zu einer neuen Ausgabe der Imitatio Christi . . . Berlin 1873, vol. I p. 123–215.

qui ultimus canonicis montis s. Agnetis praefuit, in §. 11 Vitae Thomae Malleoli „partim ex priscorum monumentis, partim ex relictis et semirosis chartulis“ haustae sic memorat: „In corona grauium virorum, si ipso praesente forensia aut mundana agitarentur, velut mutus ac elinguis sedebat: nec respondebat, ne rogatus quidem, nisi insigni alicuius rei commoditate illectus; quasi ignarus rerum, de quibus commentabantur, omnium. Porro si de Deo rebusque caelestibus haberetur sermo, mox postulatus sententiam, velut limpidissimus fons perpetuis verborum riuulis scaturiens loquebatur, aut potius profluebat.“ 317, 9–14: „Sic, quaeso ... esurienti.“ Idem lusus verborum redit apud Franciscum Tolensem l. l.: „Diuinus cultus et Ecclesiasticum decus incredibiliter cordi et studio illi erat. Adeo vt semel cuidam dicenti, videri sibi felicem Thomam, nec admiratione dignum magnopere, tanta vocis alacritate, animi promptitudine et pietate, quod Psalmos decantaret: vt cui psalmi Dauidici salmones (genus est piscium delicatissimum) saperent, incunctanter responderet, ita est, (vt ais) Deo gratiae Psalmi mihi salmones: qui tamen non raro in nauseam et mortem, quoties ignauos rei praesenti non intentos, et voci parcentes conspicio, conuertuntur“ [1]. Porro 129 sqq. (cap. XXI), „tunica inconsutilis

[1] Eadem narratio iisdem paene verbis repetita est in Vita Thomae ab Heriberto Rosweydo concinnata, Antverpiae 1617 p. 500, 1621 p. 112, 1626 p. 391.

illaesa remanens“ (130, 5) ita expicta est, ut facile credas Rosweydo l. l. p. 508 [1] haec narranti: „Thomas ipse affirmat se aliquando, venia a Superioribus obtenta, visitasse Reliquias SS. quae Treueris asseruantur, atque in via amicos inuisisse.“ Atque Thomam aliquando visitasse parentes Kempis habitantes e codice miscellaneo Bruxellensi 8849—8859 discimus, ubi f. 130a haec leguntur: „De domino gobelino kempis primo clerico domus sancti jeronimi | Hic coloniensis nacione ut iosias adhuc puer cepit querere deum patrum | suorum Nam ut frater thomas kempis regularis narrare consueuit qui cum eo | in patria scolas visitauerat. cum semel ipse thomas visitaret pa || rentes suos interrogauit eum mater sua. Qualiter est cum illo bono inuene gobelino. et ille respondit. peroptime Et mater inquit. Si vixerit iuuenis ille. crescet indubie in virum sanctum. Cui thomas: unde hoc habes o mater mea dilecta? At illa respondit: vobis cum coeuulis in cimiterio more scolarium ludentibus ille se abstrahebat intrans ecclesiam et altaria circuiens ibidem valde ferventer fundens suas orationes et domino deo suo suas affectiones aperuit petens informari ad placendum ei.“ [2] Iam cum ille codex oriundus sit e domo domini Florentii Daventriensi, ea autem eius pars, quam

[1] 1621 p. 117, 1626 p. 399.

[2] Minus accurate illa verba Rosweyd, Vindic. Kempens. p. 123 (1621) exhibet p. 127 ea adnotans ad se misisse Boecopium, sedulum antiquitatis Belgicae investigatorem.

modo excripsimus, ad Thomae aetatem proxime accedat[1], perdifficile est ad intellegendum, cur, id quod I. Mooren[2] facit, qui videlicet solam Rosweydianam editionem norat, illi narrationi fidem denegemus; quae fides eo vel augetur, quod Thomae domum paternam ad coemeterium sitam fuisse literarum monumentis constat[3].

c) Refutatoria defensoriaque:

a) **e*[1] p. XXXIII criticos alios male institutos dicit hos tractatus a s. Bonaventura scriptos esse contendisse, alios a Ludolpho Saxone Cartusiano; quorum cum nec nomina nec argumenta attulerit, refutare eos non possum.

b) Ab aliis Dionysius Rickelius, qui Thomae aequalis fuit, librum composuisse perhibetur. Sic in „doctoris ecstatici D. Dionysii Cartusiani operum omnium" tomi I, qui prodiit Monstrolii MDCCCXCVI, „Elencho operum Ven. P. Dionysii" a Theodorico Loer confecto p. LIX loco septuagesimo quarto enumerantur „Meditationes sive de modo recordationis dominicae passionis", ad quae editores haec adnotarunt: „Hunc librum aliqui eumdem asserunt jam olim evulgatum sub titulo: *De vita et bene-*

[1] Vita Gobelini eadem manu scripta est, qua plagulae 169—176, quae hanc subscriptionem habent: „Scripsi anno 1501 in die sancte margarete virginis in zwollis."

[2] Nachrichten über Thomas a Kempis, Crefeld 1855, p. 142.

[3] Mooren l. l. p. 83. 84. 86. 230 sqq.

ficiis Salvatoris, cujus orationes habent plerumque exordia: Benedico et gratias ago tibi, Domine. Prooemium autem est: Si desideras perfecte mundari a vitiis . . ." Ipsi opus in „dubia" referunt.[1] Atque eidem Dionysio opus tribuitur manu, ni fallor, saeculi XVII p. 1 exemplarium bibliothecae urbicae Coloniensis *d* et *f*.

c) Quod scribit Henricus Francken Siersdorffius, censor editionis **o* in „approbatione": „ORationes libelli huius redolentes stylum Thomae a Kempis, vel alterius pientissimi et religiosissimi viri . . .", id profecto non est argumentum, sed sine ullo argumento dubitatio.

d) Iam ad I. K. Zenner S. I. veniamus, qui cum in *y* librum, qui in controversia est, a patre quodam Cartusiano scriptum esse legisset, non solum Thomam Kempensem auctorem eius esse negavit, sed etiam Henricum Arnoldi, coenobii Basileensis antistitem, auctorem esse suspicatus est[2]. Atque hanc quidem suspicionem facile removi, postquam Dr. Nicolaus Paulus amicus Henrici illius Meditationes de vita Christi, quae adhuc in codice Monacensi[3] supersunt, prorsus alias esse atque Thomae nostri me certiorem fecit[4]. Quod vero idem

---

[1] Vide D. A. Mougel, Denys le Chartreux 1402—1471, Montreuil-sur-mer, 1896 p. 84, idemque opus Germanice redditum a sacerdote quodam ordinis Cartusiani, Mülheim a. d. Ruhr, M. Hegner. 1898 p. 99.

[2] Zeitschr. f. kath. Theol. XX (1896) p. 171—178.

[3] L. Rosenthal, Bibl. Cartusiana XL nº 634.

[4] Zeitschr. f. kath. Theol. l. l. p. 555 sq.

Zenner[1] verba, quae 267, 3 leguntur: „Flevit etiam sanctus pater noster Augustinus“ operi a Cartusiano aliquo scripto a canonico nescio quo ordinis sancti Augustini addita esse contendit, ea tergiversatio esse mihi videtur rem lubricam excusantis, non tuentis probabilem argumentatio. Iam vero ut intellegas, quam recte dicatur illud: „Dies diem docet“, sub patre illo Cartusiano nunc demonstrare posse mihi videor ipsum Thomam nostrum latere, quippe cuius praenomen in *r* proditum sit. Nam quod ibi additum est „vander kathuser orden“, id ut in re incerta non magis mirandum est, quam quod in numero illorum, qui libros De imitatione Christi composuisse feruntur, etiam Dionysius Rickelius et Ludolfus Saxo, atque ii nominatim, aliique vel simpliciter Cartusiani devoti vel „Cartusiani cuiusdam in Rheno“ significatione paulo accuratius definiti[2] proferuntur. Atque ut cuiuspiam Cartusiani opinio ex animis radicitus evellatur, Theodori Petrei Bibliothecam Cartusianam sive illustrium sacri Cartusiensis ordinis scriptorum catalogum (Coloniae M.D.C.IX p. 294) evolvens nullum trium Thomarum Cartusianorum, qui ibi adferuntur, vitam Iesu aut simile quid scripsisse cognovi.

[1] L. l. p. 177.

[2] P. E. Puyol, Descriptions bibliographiques des manuscrits et des principales éditions du livre De imitatione Christi, Paris, Victor Retaux, M D CCCXCVIII, nº 12. 14. 70. 113. 117. 203. 217. 218. 232. 334.

Restat unus Puyol [1], qui nuper tam levi bracchio rem egit, ut, quae testimonia ego gravissima esse non solum contendisse, sed etiam multis eisque luculentis documentis demonstrasse mihi videor, ea multum auctoritatis habere sine ullis argumentis simpliciter negaverit. Vt, in quo cardo rei vertatur, paucis dicam, Puyol non Thomam Kempensem, sed suum Ioannem Gersen, quem ne fuisse quidem umquam persuasum habemus, praestantissimos De imitatione Christi libros scripsisse opinatus, ut Thomam propter ingenii parvitatem [2] eorum auctorem esse non posse demonstraret, etiam reliqua eius opera sententiis praeclarissima magnam partem eius esse temere infitiatus est [3]. Quod ut efficeret, indici illi operum Thomae aetati ipsius paene aequali nullam utique fidem habendam esse accurate evincendum ei erat; quod ne conatus quidem omnia negasse, probasse nihil satius habuit.

Iam quod Puyol Sommalium in editione Thomae operum tertia, quae anno

---

[1] L'auteur du livre De imitatione Christi, première section, Paris, V. Retaux, MDCCCXCIX p. 557—559.

[2] A contraria parte stant haec Thomae aequalium de eo iudicia: a) In Chronico mont. s. Agnetis p. 137 Thomae tractatuli appellantur „praegrandes in sententia et operis efficacia". b) Auctor anonymus indicis illius, quem supra commemoravimus, Thomam dicit ingeniosum et docilem fuisse et tractabilem et ideo multum fuisse amabilem domino Florentio et eius fratribus. c) Trithemius, quem apertum est Ioannem et Thomam Hemerken fratres duos Thomas esse falso statuisse, in Catalogo illustr. virorum Germaniae vocat „ambo ingenio praestantes". d) Frater Petrus Impens († 1523) Thomae tribuit docibilem et ducibilem indolem, perspicax ingenium, memoriam tenaciorem.

[3] Puyol, L'auteur p. 539 sqq.

1615 [1] Antverpiae prodiit, Orationes et Meditationes omisisse dicit, verbo minus commodo usus est. Omissae illae quidem sunt, sed utrum sciente et probante, an inscio et invito Sommalio, nequaquam constat. Nam in praefatione Sommalius de ea re prorsus nihil dicit. Verisimile autem est eum quamquam tum iam octogenarium, at ingenii vigore valentem maioraque molientem [2] librario negotium illius editionis curandae permisisse, quod et eo confirmatur, quod in praefatione editionis secundae p. 8 haec scribit: „Tam saepe autographa vidi, legi, reuolui, et cum priori editione tam sedulo contuli: adeo vt sperem me ad eam perfectionem omnino castigationem adduxisse, vt merito animo conquiescere debeam", et nonnullis editionis tertiae socordibus neglegentiis, quas Sommalium, hominem diligentissimum doctissimumque, commisisse vix credideris [3]. Atque causae, cur librarius illud opus omiserit, complures excogitari et possunt et sunt excogitatae; mihi quidem saepe multumque de ea re deliberanti nunc haec maxime videtur probabilis esse, ut librarium, quo parabiliorem faceret editionem, rem egisse statuamus, quod nimirum illum eo prudentius facere sibi visum esse arbitror, quod Orationes et Meditationes similis argumenti atque eiusdem auctoris „Conciones et Meditationes triginta sex vtilis-

[1] Ante quartam anno 1625 Duaci editam Sommalius anno 1619 mortuus erat.
[2] Zeitschrift für kath. Theol. l. l. p. 561.
[3] Vide Progr. gymnas. Kemp. 1895 p. XX sq.

simas“ a Sommalio contionatoribus commendari legisset (cfr. *n* pp. 144 et 617). In qua lite utrum Puyol an Pohl rectius iudicaverit, edepol viri politioris artis criticae periti viderint.

C. SVBSIDIORVM CRITICORVM AESTIMATIO, DIIVDICATIO, VSVS.

I. AESTIMATIO ET DIIVDICATIO.

Omnis subsidiorum, quae initio enumeravi, memoria divisa est in genera duo, quorum unius, quod litera *A* noto, sunt *a, b, d, e, f, g, h, i, k, l, m, s, t, u, v, x, y,* alterius, quod litera *B* noto, *c*, *n, *o, *p, *q, *r, *z, *a^1, *b^1, *c^1, *d^1, *e^1, (*f*^{1}). Horum utrum utri bonitate praestet, priusquam inquiramus, de singulis pauca quaedam praemonere liceat.

a et *b* codices, quos Fridericum Leitschuh secutus saeculo XV exeunti supra p. 363 sq. attribui, haud scio an priori saeculi XVI dimidiae parti rectius adsignentur; quam sententiam Ioannes Fischer, qui nunc bibliothecae Bambergensi praeest, epistula his Idibus Augustis ad me humanissime data videtur probare. Qui codices etsi consensu et lectionum et lacunarum inter se simillimi sunt, neutrum tamen e natura utrarumque apparet ab altero fluxisse posse. Quare utriusque fontem fuisse perquam mihi probabile est librum sub

Vdalrico abbate (1475—1483) emptum, qui inscriptus est „Vita Christi“ [1], quem fuisse manu scriptum hac de causa arbitror, quod vetustarum editionum, quas quidem norim, nulla adeo hiulca sit. Ceterum quamquam *a* et *b* universi satis diligenter scripti sunt, tamen haud ita dolui, quod sero notitiam nactus demum hac iam paene absoluta recensione inde ab a. d. VI. Kal. Iul. huius anni eos conferre potui, cum, si a lacunis, quae in iis non raro eaeque sat amplae occurrunt, discesseris, eos fere ubique cum ea editione, quod prioris tractatus fundamentum esse volui, congruere intellexerim.

c tot, quot singulis editionibus adscripsi, locis a reliquis dissentiens consentit: cum *d* 10, **n* 9, **o* 189, **p* 51, **n* **o* **p* 18, **n* **o* 44, **o* **p* 90. Quibus numeris illum ex eodem, quo **o* et **p*, fonte hausisse patet. Ceterum interpolationibus tantopere scatet, ut in arte critica factitanda perexiguus eius atque adeo vix ullus usus sit.

e omnium saeculi et XV et XVI editionum vetustissima atque quasi parens est. Quod cum singillatim probare longum sit, quam rationem in eiusmodi quaestionibus tenuerim, paucis quibusdam exemplis monstrasse sufficiat. Si quo in libro longior lacuna est, quae coniectura suppleri non possit, velut si in *h* 6, 3 verba *inscrutabilis sapientia*

[1] Vide Harry Bresslau, Bamberger Studien, in Neues Archiv der Gesellschaft für ältere deutsche Geschichtskunde, Hannover und Leipzig 1896, XXI p. 172.

tua, 123, 19 *seu devota meditatione*, desunt, sequitur, ut is integrorum librorum fons esse non possit. Contra si quis liber eiusmodi lacunis caret, si ceteri eiusdem non solum bonas lectiones fere praebent, sed etiam vel ineptos errores, quos corrigere facile erat, saepe sequuntur — velut si *e f h* 16, 24 pro *pretiosiorem* habent *precisio*[1] *preciosiorem*, *a d i precioso*[2] *preciosiorem* 24, 13 *a b e f g h incuitus*, *d* et *i intuitus* pro *incultus*, 28, 17 *e f g commisisis* pro *commissis*, 95, 23 *e g k desensitate* pro *densitate*, 117, 20 *e amic istabiles* (sic), *d f i amicti stabiles*, 157, 23 *e du. ci* (sic), *g duci* pro *dulci*, 191, 26 *e f k inuasissi pro invasisti*, ad quae exempla multa parilia addere possum — quin hi ex illo pendeant, dubitare non est consentaneum. Itaque hac via non sine magno diuturnoque labore progressus effeci, ut ex *e* editiones *f g h k m*, *d* ex *f*, *i* ex *d*, *l* ex *g* repetitae esse existimandae sint. Rem ita se habere quo planius cognoscatur, *d* et *i* adnoto adversus omnes inter se consentire locis 169. Atque *i* quamquam exemplar in universum quasi serviliter, nonnumquam neglegenter ex *d* typis excriptum est, tamen hic illic faciles habet emendationes, quales sunt: 51, 9 *d sacramentissime*, *i sacratissime*, 52, 27 *d* et *f effectionibus*, *i affectionibus*, 58, 7 *d* et *f irrascor*, *i irascor*, 164, 28 *d vniuersa lachrima*, *i vniuersas lachrimas*.

---

[1] In *e precisio* ultimum verbum fol. 6a legitur.

[2] In *a precioso* linea rubra deletum est.

k liber octiens suas lectiones habet, quae tamen plerumque menda typographica sunt, itemque octiens cum **n *o *p* contra reliquas editiones anno 1600 anteriores consentit; sed idem sedeciens contra omnes reliquos cum **n* consentit, sexiens cum **n* et **p*, ter cum *c *o *p* itemque cum *c *n *p*, singulis locis cum **n *o *p*, **n *o*, *c *n*, *c *o *p *q*, *c *n *o*, ita ut *k*, licet artiore cognationis vinculo cum *A* coniunctus *e* potissimum sequatur, tamen ex *A* et *B* contaminatum esse manifestum sit; idemque valet, ut id statim addam, de **p*[1] et, quantum in verborum eius paucitate conicere licet, de *g*[1].

l locis 72 a reliquis discrepans cum *g* consentientes lectiones habet.

m editio a philologo videtur elaborata esse. Hoc indicat non solum scribendi ratio, veluti *genetrix*, *monimenta*, *dispartiti*, *tunsionibus*, pro quo antea legebatur *tonsionibus*, sed etiam pure et Latine loquendi studium, ut cum scribit *nebulonum* pro *ribaldorum*, *thesaurus* pro *clenodium*, *delicti* pro *forefacti*, *perpetuo* pro *perpetue*, *forcipem* pro *tenellam*, *clementer* pro *propitius*, *ridicule* pro *iocaliter*. Accedunt haud raro vocabulorum modo omissiones modo adiectiones, modo mutationes tum rectae tum falsae, e quibus quod 52, 24 recepi *admonitum*, dubito an non errorem librarii, sed Thomae soloecismum correxerim. Cete-

[1] Notabile videtur 176, 11 *sed* in *e* evanidis literarum ductibus expressum in *k m *p* prorsus deesse.

rum nihil obstat, quominus *m* ex *e* pendere statuamus.

Iam ut eorum, quae de *e*–*m* adhuc disputavi, quasi summam subducam, harum editionum lectiones 136 adversus **n* **o* **p* concordantes computavi.

**n* editio locis prioris tractatus circiter 130 a reliquis omnibus discrepat, locis circiter 127 vel singulis vel pluribus verbis additis amplificata est. Quod quidem non adeo miraberis, cum Heribertum Rosweyde Vindic. Kempens. p. 473 edit. 1617 (p. 92 edit. 1621) haec scribentem leges: „Curiose sane Sommalius noster textum [librorum De imitatione Christi] distinxit, sed non vbique ipsa Thomae verba ex autographo expressit, quorumdam, vti videtur, barbarie offensus", et p. 475 (seu p. 94): „Sommalij nostri editionem ad eorum [autographorum] fidem exegi et paene centum locis ad auctoris calamum reuocaui" [1]. Nihilominus **n* editionibus **o* **p* multum praestat, quod vel inde colligas, quod **n* in lectionibus 145 cum editionibus antiquioribus adversus **o* **p* consentit.

**o* editionis lectiones circiter 333 ab omnium reliquarum discrepantes notavi. Quae quod paucas quasdam lectiones habet cum *A* adversus **n* et **p* congruentes, eas vel coniecturas esse vel „ex antiquis manu scriptis", quibus se usum esse Gratianus plurali numero dicit, profectas probabiliter conicere nobis videmur. Adversus omnes addito *c*

[1] Cfr. Hirsche, Prolegom. I p. 283.

locis 33, excepto *c* circiter 132 **o* et **p* consentiunt; quorum locorum centum viginti duobus omnes editiones praeter **o* et **p* inter se quoque concordant. Accedunt loci 23, quibus omnes editiones exceptis **o* et **p* inter se discordantibus easdem lectiones habent. Addo *c* **n* **o* locis 141, *c* **n* **o* **p* 100, *c* **o* **p* 103 solos inter se consentire, denique **n* et **o* contra omnes editiones locis circiter 164, contra easdem addito *c* locis 26.

**p* omnium editionum pessima, praeterquam quod duo capitula desunt, locis prioris tractatus circiter 851 alias atque reliquae lectiones exhibet. Quam contaminatam esse ex *A* et *B* multiplici eius cum alterutro consensu conspicuum est. Quodsi nihilominus errores eius in numerum paene incredibilem excreverunt, quam violenter sive codex eius sive editor, quod ut credam magis mihi animus inclinat, in Thomae verba grassatus sit, coniectura facile adsequeris. Septiens tantum cum **n* adversus reliquos libros omnes consentit.

**q* quotiens cum singulis generis *B* libris consentiret, (consentit autem ut cum *B* saepissime, ita cum *A* adversus *B* satis raro) neque attinebat et, ut in codice converso, lubricum erat numeris definire. Adlocutio monachorum constanter, quantum memini, in monacharum adlocutionem mutata est. Atque monacham quidem codicem scripsisse etsi subscriptio docet, tamen vertisse quoque nec adfirmare nec negare ausim.

*r. Hic quoque codex plerumque cum c *n *o *p facit, quod cum in titulis tum in lacunarum in a—m interdum obviarum defectu cernitur.

De reliquis translationibus haec habeo, quae lectores scire velim. s facta est ex g, y cum parvis immutationibus repetita ex s, t, quod consentaneum erat ita se habere, ex l, u[1] et v ex t plane et omnino compilatae, contra x[2] ex l proprio Marte laudabiliter elucubrata, *z[3] *a[1] *b[1] *c[1] *e[1] ex *n, d[1] ex *p elaboratae sunt.

f[1] Orationum et Meditationum epitoma est eaque satis libera interpretatio. Quae quoniam anno 1489 prodiit, iam altero ante annum 1500 decennio ambos tractatus in unum quasi corpus coaluisse documento est.

g[1]. Quamvis diu multumque cum ipsi tum per alios scrutato mihi non contigit, ut in Alberti Magni operum voluminibus viginti uno locum, qui in Theodorici Herxen libello adfertur, investigarem. Iam cum alios Alberti Magni locos a Thoma Kempensi excriptos esse mihi notum non sit, contra Gerardi Magni non paucos[4], in eam opinionem

[1] Circa annum 1544 edita.

[2] Dilbaum t u v ne nosse quidem videtur.

[3] Henricus filius meus, qui nunc ipsum in Orationibus et Meditationibus Germanice reddendis occupatus est, Eglium aut ipsum aut per amicum quendam, quem p. VIII sibi adfirmasse dicit prioris tractatus vetustam extare translationem rarissimam, sic inscriptam: „der Herzmahner", translatione y usum esse repperit.

[4] Cfr. K. Hirsche in Real-Encyclopädie für protestantische Theologie und Kirche. . . . 2. Aufl., II p. 694; K. Grube, Gerhard Groot und seine Stiftungen. Köln,

inductus sum, ut pro „Albertus“ apud Herxen „Gerardus“ legendum esse putem. Quae opinio haud mediocriter ea re confirmari videtur, quod ab I. F. Foppens in Bibliotheca Belgica Bruxellis 1739 edita II p. 35 inter reliqua Gerardi Magni scripta hoc quoque his verbis enumeratur: „Concordia Euangelistarum de Passione Domini. Ms. Daventriae olim apud fratres“ [1], cuius quidem codicis ut exemplar quodpiam indagarem, multam operam frustra consumpsi.

Quamquam vel ex eis, quae adhuc disseruimus, genere *A* verba Thomae magis incorrupta tradita esse quam genere *B* neminem non divinaturum esse arbitror, tamen, quo res etiam magis ad liquidum perducatur, de natura quoque vitiorum utriusque nonnulla addere placet. Neque enim *A* ita emendatum est, ut nulla fere vitiorum labe maculatum sit, sed haec vitia et pro numero rara sunt et adeo interpolatoris manum non redolent, ut ipsa nativa quadam eorum simplicitate fides librarii eluceat. En istarum ineptiarum aliquot exempla: 5, 31 *a b *p desideret, d e g—m desideraret, f desiderarct* pro *desiderat*, 9, 27. 28 *a b miserabili eius lapsu, d—m eius miserabili lapsu* pro *promissione adventus Christi*, 10, 23 *a b d—m pronunciare* pro *praenuntiare*, 11, 15 *a b d—m habitationem* pro *afflictionem*, 15, 26 *a b d—h k *o dandam,*

J. P. Bachem, 1883 p. 47; L. Schulze in Briegers Zeitschrift für Kirchengeschichte XI (1890) p. 581.

[1] Eadem verba adscripta sunt ab A. Auger in Mémoires couronnés . . . publiés par l'Académie Royale des sciences . . . de Belgique, Bruxelles, 1892, Tome XLVI p. 273.

l dandnm pro *dandum*, 25, 8 *d—l*[1] *effectu* pro *affectu*, 195, 12 *a b d—i l effectus k effectns* pro *affectus*, 42, 14 *a b uideam, e—g audeam* pro *audiam*, 43, 10 *a b d—m Iesu* deest, 47, 12 *a b d—m exclamando, c*n *o *p exclamo, *q wt roepe ic, *r rope ic* pro *exclamo dicendo*, 52, 18 *a b d—h k discordis, i l m discordibus* pro *distortis*, 52, 19 *e f h k mysteria, a b d g i misteria* pro *ministeria*, 67, 17 *d—g i k tramitatem* pro *tramitem*, 77, 24 *e g i triumphant* pro *triumphat*, 83, 10 *d—g i k m discipline* pro *discipule*, 86, 31 *a b d—m *p iesum* pro *parentes*, 88, 20 *a b d—k tue* pro *tui*, 102, 12 *a d—k tua* pro *tuae*, 190, 12 *d—k m tui* pro *tuae*, 95, 14 *a d—k palleo* pro *pallio*, 98, 17, 108, 31, 122, 10 *a b d—k hec*[2] pro *his*, 106, 6 *a b d—m inuite* pro *immite*, 116, 6 *b d—m *p distillante, c*n stillante* pro *destillante*, 116, 10 *d—k susceperis, *p suscepit* pro *susceperit*, 132, 11 *a b d—m cunctisque, *p cunctis* pro *cunctis regum palliis cunctisque*, 138, 20 *a b d—m inseparabili* pro *insuperabili*, 142, 3 *a b d—i l dulcis* pro *dulce*, 161, 9 *a d—k m Sta* pro *Stat*, 163, 28 *a b d—m letemur* pro *laeteris*, 168, 29 *a b l m paupertatem*[3], *d—k pauperem* pro *pauperiem*, 191, 8 *a b d—k m *p et* pro *ex*, 211, 27 *d—k m quem* pro *quam*, 212, 14 *a b d—m *o Vestitur* pro *Vestietur*.

Sed haec hactenus. Quae exempla si una cum eis, quae p. 399 congessi,

---

[1] *m ffectu*, in quo prima litera intercidit.

[2] *m* 108, 31 exhibet *haec*, 122, 10 *hoc*.

[3] Syllabae *tatem* in *a* ex correctura alio atramento scriptae sunt.

accurate inspicies, unum *e* librum correctori prorsus nihil debere reperies. Is igitur sincerissimus omnium fons habendus est. Idque iudicium diligenter inter se pensitatis lectionibus eorum locorum, quibus aut *A* aut *B* interpolatum esse statuamus necesse est, stabilitur. Cuius rei haec exempla delegi: 8, 18 *A lapsu*, *B damnatione*, 20, 4 *A super*, *B pro*, 22, 6 in *B* post *confiteatur* insertum legitur: *nomini sancto tuo* [1], item 28, 15 post *mihi: Quid dare possum pauper et inops peccator et miserabilis homuncio nisi corpus et animam tibi integre resignando?* 22, 25 *A angelo*, *B archangelo*, 25, 29 *A te*, *B amore tuo* [2], 29, 10. 11 *A perversam . . . duritiam*, *B perversitatem . . . duritiamque*, 18 *A de*, *B pro*, 33, 25 *A libenter*, *B humiliter*, 34, 14 *A dignatus*, *B passus*, 42, 28 *A Nemo*, *B Nemo enim*, 43, 4 *A temptat*, *B temptat et vexat*, 48, 18 *A instituit*, *B instituit preciosi* (**o *p instituit pretiosi*, *c instituit preciosissimi*), 52, 10 *A* hiat, nisi quod *m sermone* probabili coniectura restituit, *B materia*, 58, 14. 15 *A neque tranquillitatis bonum possum*, *B nequeo tranquillitatis bonum*, 71, 2 *A respicio*, *B retro respicio*, 19 *A dure*, *B duriter*, 72, 29 *A indignando*, *B indignabundo*, 73, 25 *A corde*, *B cordis*, 77, 18 *A hoc*, *B haec*, 80, 14 *A Rogo*, *B*

---

[1] **p* habet *nomini tuo sancto*. Cfr. Phil. 2, 10. 11: ut in nomine Iesu omne genu flectatur caelestium, terrestrium et infernorum, et omnis lingua confiteatur, quia Dominus Iesus Christus in gloria est Dei Patris.

[2] **q om dynen wille*, **r vm uwen willen*.

Rogo itaque, 96, 21 ***A*** *in*, ***B*** *et*, 146, 25 ***A*** *formatus* [1], ***B*** *informatus.*

Quoniam ea, quae adhuc de mendorum numero atque genere disserui, ad priorem tractatum pertinent, restat, ut de alterius tractatus fundamento nunc dicendum esse videatur. Cuius officii partes satis expleturi esse nobis videmur numeris proponendis hisce: Consentiunt **n *o* adversus **p* locis 564, **n *p* adversus **o* locis 561, **o *p* adversus **n* locis, quorum quidem 51 vel ad formulam rationemque scribendi vel ad verborum conlocationem attinent, 148.

Iam ut summa eorum, quae disputavimus, uno quasi oculorum obtutu perlustrari queat, infra tabulam proponamus, qua singulorum librorum origo atque adfinitas perspiciatur; in quibus quae fortasse ad demonstrandum comprobandumque deerunt, ex adnotatione critica, quam huic commentationi extremae subiungemus, haud ita magno labore supplebuntur. Atque ne membra interposita *γ *δ *ε* mirere, quibus literis codices nunc deperditi [2] intellegendi sunt, ea ad cognationem librorum tum ***a b*** tum **n *q *r*, tum ***c*** **o *p *f* [1] explicandam admittere cogimur.

---

[1] Cfr. verba, quae in liturgia sacra ante Orationem Dominicam recitantur: *divina institutione formati audemus dicere.*

[2] De *γ* vide supra p. 397 sq.

STEMMA CODICVM ET LIBRORVM.



II. VSVS.

Cum genus *A* purius sit quam *B*, omnes autem prioris tractatus editiones ab *e* manaverint, codices denique *a b* minus integri sint quam *e*, sequitur, ut reliquis non testimoniis, sed commentis reiectis, nisi si quam coniecturam aptam usui suppeditent, haec prioris partis editio in fundamento unius *e* extruenda sit. Eaedemque in altero tractatu recensendo partes erunt editionis **n*. Itaque harum suo utriusque loco verba ac literas tota exhibemus, ita tamen, ut ipsarum contemptis quisquiliis orthographicis operarumve typographicarum erroribus varietatem lectionis codicum *a b* integram atque generis *B* principaliorem deligentes in adnotatione critica adiciamus. Silentio igitur praetereunda erunt in codicibus aevi medii exeuntis vetustissimisque editionibus pervulgata illa, qualia sunt *e* pro *ae* vel *oe* constanter scripta, *c* et *t*, *i* et *y* [1] saepissime inter se confusae, *h* perverse nunc adiecta nunc omissa exempli gratia: *amenus, celum, cepi* (pro *coepi*), *cetus, mestus, pena, penalia, penitet, obedire, seculum, sepe, tedium,*

nunciare, oracio, paciencia, preciosus, vicium,

cythara, egiptus, hyems, hijs, lymbus, misticus,

[1] Ne in his quidem cave constantiam librariorum expectes modo *mysterium*, modo *misterium*, modo *diabolus*, modo *dyabolus, martyr, martir, immo, ymmo, imo, ymo, Pilatus, Pylatus*, rel. scribentium.

syndo, sydera, ydoneus, ymago,
abhominabilis, habundare, archanum, choruscare,
heremita, heremus, iherusalem, ihesus, lintheum,
michi, nichil, perhenniter, proch (pro *pro* interiectione),
thus, ymnus, cristus, ebdomas, ortus (pro *hortus*), *pascalis, scola,*

deinde *p* falso interpositam: *contempnere, dampnatus, dampnum, sompnolentus, verumptamen;* tum adsimilatio quae dicitur perversa praepositionum: *ammirari, ammonere,*

denique haec, quae passim occurrunt: *accidia, elemosynis, fantasiis, fantasmata, nephandus, humilima, iocundus, tondere* (pro *tundere*), *immarcessibilis, strennuus, tollerare* similiaque. Nec desunt dupliciter falsa veluti: *ammoniciones, erumpna, lachryma, leticia, mirrha, obediencia, penitencia, solempnis.*

Talibus igitur, quae tacite correxi, adnotandis bonam chartam perdere nolui. Contra alia quamvis Thomae autographis quoque Bruxellensibus et Lovaniensi tradita tamen a recentioribus Imitationis librorum editoribus iniuria spreta retinui, qualia sunt composita verba iaciendi una *i* recte scripta veluti: *abicere, adicere, eicere, inicere, obicere* rel., porro *anulus, artare, artus, auctor, benivolus, caritas, carus, cenare, cerimoniis, ceteri, clipeus, contemptus, cotidianus, cotidie, cum, inclitus, lacrima, milia, mille, quotiens, totiens, repperit, solacium, solli-*

citus, *tamquam*, *umquam* [1]. Etiam in ceteris eam rationem secutus sum, ut, quae bonis codicibus tradita essent quamvis infimae aetatis, dummodo ne prorsus barbara essent, usui communi me accommodarem, veluti in *affuturum*, *assignare*, *assit*, *assumptus*, etsi Ciceronis Augustique aetate scribi solitum non esse scio, nisi *adsignare*, *adsit*, *adsumere*, atque *affuturum*, *affinis*, *afferre* pro *adfuturum*, *adfinis*, *adferre* sexto demum post Christum saeculo in usum recipi coepisse. Neque tamen animum inducere potui, ut verborum formas Thomae quidem ipsi tritas, sed veteribus plane incognitas, quales sunt *genitrix*, *negligere*, *intelligere* servarem. Denique in dubiis libertate iudicii ita usus sum, ut *extitit*, *expoliare*, *expectare*, *Iohannes*, *obtinere*, *temptare* Thomae plerumque consuetudinem secutus praeferrem, etiam *deciens*, *miliens*, quamquam hoc contra Thomam ac fortasse praeter necessitatem.

Non prorsus eadem, quae ortographiae, ratio est Latinitatis. Ac ne quis miretur, tales soloecismos a me sublatos non esse, quales leguntur 51, 10. 11: *ut ... sufficiunt*, 314, 7–9: *laborantibus ... prendiderunt*, 318, 17: *dicens* (pro *dicentem*) vel structuras minus usitatas, quales sunt 7, 27: *Filius ...*, 61, 26 *fructum potiri*, is secum meum non fuisse reputet Thomam, apud quem talia non raro occurrunt, emendare,

[1] Vtrum Thomas constanter, ni fallor, *quicūque* scribens *quicumque* an *quicunque* maluerit, incertum est; equidem probo ac vetusto *quicumque* postliminium dare non dubitavi.

sed errores corrigere librariorum. Eiusdemque religionis rationem tam diligenter habui, ut vel tractatuum capitulorumque [1] numeros, qui in codicibus vetustissimisque editionibus desunt, uncinis includendos esse duxerim. A qua religionis diligentiaeque lege ne in clausulis quidem precationum *Amen* [2] nunc scribens nunc omittens recedere volui. In capitulis autem in partes discernendis egregie adiutus sum codicum vetustissimarumque editionum literis [3] C (i. e. capitulum) et *Π* (i. e. paragraphus) distinctioni partium destinatis.

Restat mihi munus debiti officii longe iucundissimum omnibus, qui studia mea vel libris missis vel consiliis datis vel sociatis laboribus foverunt, maximas agendi gratias; e quo numero Victorem Becker S. I. amicum ante hoc triennium et quod excedit his studiis mihique praematura morte ereptum esse ex animo doleo.

Scribebam Kempis, in ipsa Thomae urbe natali, aestate anni MDCCCCI, absolvi Poppelsdorpi prope Bonnam eiusdem anni a. d. XVIII. Kal. Octobres.

---

[1] More, quem in ceteris Thomae libris observavi, *capitulum* scripsi, non *caput*.

[2] Quinquiens tantum omnes codices editionesque prioris tractatus in hoc genere consentientes inveni I, 2, $_{24}$ et $_{35}$ *Amen* exhibentes, I, 1, $_{7}$ et I, 2, $_{7}$ et $_{25}$ praetermittentes.

[3] Qua in re imprimis utilis mihi fuit **q*.

ADNOTATIO CRITICA.

Praeter ea, quae supra p. 363—380 et 397 indicavi, his siglis utar: γ = ***a b***, ζ = ***d—i***, η = ***d—k***, ϑ = ***d—l***, $\varkappa$ = ***d—m***, δ = ***c *n *o *p***, ε = ***c *o *p***, τ = ****n *o *p***, λ = ****n *o***, μ = ****n *p***, ξ = ****o *p***, π = omnes, ***P*** = coniectura a me facta, add. = addidit vel addiderunt vel additum, om. = omisit vel omiserunt vel omissum, rel. = reliqui sqq.

I, 1, 1—24.

p. 1, 1—5: Tituli lectiones variantes supra p. 363—381 notavi. 3, 3 -23 om. γ. 3 de δf^1 vide supra p. 365, 370 sq., 381. 4 *Si igitur desideras* g^1. 5 *in* om. ****n***. 12 *frequenter (*pro *ferventer)* $g l g^1$. 14 *excessum* μ, *excessu* rel.[1] 15 *divinis* $c \xi f^1$, *godlike* ****q *r***, *diversis* rel.[2] 16. 17 cfr. supra p. 382. 17 *in vita et* om. g^1. 17 *in* (alterum) om. $c g l m \xi f^1$. 19 *prebet* $d i$. 21 *ad regnum perduceret aeternum*[3] ****p*** g^1.

[1] Rem decernit De imitat. III 6, 29 ed. Hirsche, quem laudare soleo, ubi autogr. Bruxell. habet *in excessum subito raperis.*

[2] Cfr. De imitat. IIII 1, 131 et 3, 46: *divina mysteria.*

[3] ****n*** in vita magistri Gerardi Magni p. 770, 9 habet: *ad aeternum perduceret regnum.*

[Capitulum I.] 4, 2–5 consentit ϑ; quid habeant γ *cf*[1] vide supra p. 363, 364, 365, 381; *m* habet: *Devotae meditationes et gratiarum* reliquaque ut ϑ, sed om. *Et primo; Meditatio siue oratio excitans ad laudandum Deum pro sua magnificentia* **n*; *Incipiunt—collatis* **o* exceptis orthographicis ut *c*; tum in **o* pergitur: *Oratio excitatiua ad laudandum Deum pro sua magnificentia;* quocum consentit **q*, nisi quod tria ultima verba versa non sunt, additumque est *te danken;* in **r* titulus deest; **p* habet: *Incipiunt devotae orationes de vita ac Passione, Resurrectione, et Ascensione Christi, ac de Spiritus Sancti missione, ad regratiandum Deo pro beneficiis homini collatis.* Caput I. Oratio *Excitativa ad laudandum Deum pro sua magnificentia, cum magna gratiarum actione, et cordis devotione pertractanda. O Domine Deus meus!* 9 *laude tua* π, *laudem tuam*[1] ***P***. 20 *angelorum* (pro *angelicae*) ***b***. 26 *tua* om. ξ *f*[1]. 27 *nequeo laudare* **p f*[1]. 5, 11 *piissima* om. ***b***; *et* (pro *ac*) γ. 12 *ingenita* (pro *ingenti*[2]) μ, *in gebaerenre* **q*, *ingebaerenre* **r*. 20 *attendas* (pro *accendas*) **n*. 21 *tua Domine Deus* ***B***. 26 *et honorem ac honorificentiam* γ. 27 *tua* om. ε. 29 *benignitatem* (pro *dignitatem*) **o*. 31 *desideret* γ **p*, *desideraret* ***d e g***—***m***, *desiderarct f*[1], *begeert* **q* **r*. 6, 3 *imperscrutabilis c* **o*, *inperscrutabilis* **n*, *incom-*

[1] Cfr. 4, 16: *in tui nominis honorem labia mea aperire.*
[2] Cfr. 34, 11 *ingenti cordis affectu,* Serm. ad novic. **n* p. 65 col. 2, 28 *cum ingenti sollicitudine.*

